tti

Al Ch. Sig.r D. Girola

L'Autore

FRANCISCUS

BERTINATTI

EPOREDIENSIS

IN IMP. PISARUM ET IN R. TAURINORUM ATHENAEO

Philosophiae Medicinae et Chirurgiae

DOCTOR

RENUNTIATUS

SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE BONONIENSIS SODALIS

Amplissimi Taurinensis

CHIRURGIAE COLLEGII

Candidatus

ANNO MDCCCXXIX

DIE III DECEMBRIS, HORA VIII CUM DIMID. MATUT.

Data cuilibet post sextum argumentandi facultate.

TAURINI

EX TYPIS VID. GHIRINGHELLO ET SOC.

EX ANATOME
DE ALA

SPECIMEN ANATOMICO-CHIRURGICUM

Alae humanae anatome valde implicata: organica siquidem elementa, quae ad alae structuram efformandam concurrunt, perplura sunt, atque intricato modo disposita. Sedem ala refert conspicuae articulationis: circuitus, motus, et sensilitatis eximia complectitur organa ita inter se mirifice membranis obvoluta, ut infinitis propemodum in articulationis motibus nullum detrimentum patiantur. Glandulas, quae lympham superiorum artuum, proximarumque partium perficiunt, comprehendit: vasa quam plurima, et insignes nervos ad evolutionem ac nutritionem totius artus ala continet. Nos in tanta rerum congerie non in omnibus immorabimur: strictim, carptimque indicatis praecipuis organis, quantum nobis est musculos,

ac cellulares, et fibrosas membranas describemus, ipsarumque superioris artus in motibus conspirationes innuemus, eo sensu, quo ad chirurgum spectant, ut ab eo in tumoribus inflammatoriis, et praesertim in abscessibus alarum rationalis curationis methodus instituatur. Arteriarum insuper distributiones, earumque inter se, aliasque partes rationes delibabimus, ut ex hisce rationum momenta depromere queat Chirurgus ad ea omnia statuenda, quae axillarem arteriam deligandi methodum tutiorem, et faciliorem reddunt.

I.

Qui externarum corporis regionum compagem rimantur, id peragunt, ut texturae forma, varietates, et morbi, qui in illis familiares occurrunt, chirurgo operanti pateant; quod valde artis nostrae ministerio prodesse ille non ambiget, qui conspicuam morborum, caeterum natura similium, discrepantiam a diversa sedis anatomica conformatione promanare cum cordatioribus clinicis iudicet. Quamobrem alarum anatomicam regionem hoc adspectu perpendentes, latius,

quam anatomici illam delineare consuescunt, contemplabimur, et superius circumscriptam volumus a tribus externis quadrantibus claviculae, inferius a margine inferiori musculi pectoralis maioris ad insertionem usque sui tendinis ad sulcum bicipitalem, a quo linea perducitur ad totam anteriorem brachii faciem: margo externus brachii adducti usque ad lineam productam e margine inferiori tendinis musculi pectoralis maioris sit limes externus. Linea ex indicato interno claviculae puncto per totum musculi pectoralis maioris marginem internum producta definiat in sectione linearum interius regionem: quam inferius et posterius definitam habemus a cavo triangulari, cuius basis invenitur ad pectoris latus, et apex respicit brachium: margines vero hujusce cavi efformantur anterius a posteriori facie musculi pectoralis maioris, et posterius a musculo latissimo dorsi atque a tereti maiori: quod cavum imminuitur si brachium valde extollatur. Mammae hac regione comprehendi possunt, utpote organa, quae lymphaticorum et nervorum ope cum ala commercium servant.

II.

Textuum strata hac in regione contenta, et primo cutis consideranda. Haec in angulo superiori externo regionis crassior, tenuior atque extensibilior inferius, et magis semper magisque in alae cavo deprehenditur. Ibi in puberibus maribus, et quandoque in foeminis pili evolvuntur, sudoreque unguinoso madida observatur cutis, haud raro ingratum foetorem halans, et excoriationes adducens: inibi folliculi sebacei sat evoluti conspiciuntur. In posteriori regionis facie, cutis sat crassa, parum extensilis, valde sensilis, vasculosa, subcutaneum operit textum cellulo-pingue-dineum, facile decurrentem supra laminam aponevroticam, intimius cuti adhaerentem, ubi osseis eminentiis respondet; ibique minor est pinguedinis massa.

Ubi vero anterius dempta sit cutis, sub oculos venit stratum pinguedineum non ubique pari ratione crassum, neque idem omnibus in corporibus: in gracilibus *1 hoc

*1 Velpeau, Traité d'anatomie chirurgicale. Paris, 1825. Tom. I, chap. III.

stratum efformatur a lamina densa et subtili: in pinguibus variat quoad densitatem, et cellulae pinguedineae satis conspicuae observantur: magis coacervatae interius quam exterius, atque inferius: in alae cavo stratum istud est valde subtile: si membranaceum sit, facies, quae respicit cutem, est floccosa; levior quae laminam contegit fibrosam et tenacem mox describendam. Fibrosa haec lamina superius nectitur margini posteriori claviculae, ubi textus cellulosus crassior est, dein cum lamina anteriori musculi sterno-cleido mastoidei connectitur (lamina profunda aponevrosis cervicalis Alan-Burns), et cum lamina superficiali lateris colli, et capsulae scapulo humerali in triangulo efformato a processu coracoideo, clavicula, et ligamento coraco-claviculari, quodque trianguli coraco-clavicularis nomine designamus. Superius atque exterius confunditur una cum aponevrosi brachiali: superque humerum subtilior est: exterius et inferius posteriori musculi latissimi dorsi laminae adnectitur, decurrendo in primis supra propriam ipsius musculi laminam, interposito

textus cellulosi strato, indeque strictius confunditur: superficiale stratum in alae cavo efformat, suisque superficialioribus lamellis glandulas lymphaticas recondit; dum laminae profundae magis magisque densatae crassius hoc loco, robustiusque stratum efficiunt: inferius laminae superficiali generali connectitur, quae in abdomine est magis conspicua.

Per hanc laminam versus marginem anteriorem inferiorem cavi alae decurrit arteria thoracica anterior ab axillari vel acromiali proveniens, cuius nonnulli decurrunt rami supra anteriorem musculi pectoralis maioris faciem. Ob id pronum est concludere hanc laedi arteriam, si musculus hoc puncto scindatur.

III.

Musculi pectoralis maioris nunc describenda foret aponevrosis: at quum omnes alae musculi plus minusve aponevrotica vagina donentur, ad faciliorem harum propagationem intelligendam, nonnulla de iis dicenda manent, praecipue quoad situm, rationesque partium. Et primo quidem in musculum pectoralem maiorem inquirentes animadvertimus, internae medietati marginis

anterioris claviculae et costis veris ipsum inhaerere, cum et externo sulci bicipitalis margini lati tendinis ope, qui in sulcum reflexus iungitur *1 illi musculi teretis maioris, et latissimi dorsi. Tendo hic anteriorem constituit alae stelam, atque impedit, quominus tendo portionis longae musculi bicipitis egrediatur e sulco, et ad sua obeunda munera impar evadat. Stabelii ad instar e peripheria ad centrum in tendine repositum eius fibrae convergunt. Tertiam superiorem portionem inter et mediam musculi reperitur sulcus, quasi hi bini essent, alter scilicet *clavicularis, thoracicus* alter, quemadmodum WINSLOW adnotavit: huiusce portionis fibrae fere sunt transversales. Superiori externo margine musculo deltoideo respondet, seiungiturque sulco, per quem decurrunt vena cephalica (humeralis CAMPER) et arteria acromialis. Facie sua posteriori respondet laminae posteriori eius aponevroseos, de qua suo loco (§ X) pertractabimus; atque, hac intermedia, portionem musculorum intercostalium, serrati

*1 PORTAL, Cours d'anatomie médicale. Paris, an XII.

magni, totumque musculum pectoralem minorem, et magna vasa contegit.

Musculus deltoides e clavicula et scapula ortum ducens convergentibus fibris in externa humeri facie inseritur: rationes cum pectorali musculo nuper notavimus: posterius rationes servat cum trapezio: capsulam articularem, insertionemque tegit musculorum infrascapularis, supra-spinati, infra-spinati, teretis minoris, bicipitis, et coraco-humeralis, tum et anteriorem circumflexam humeri arteriam, quae ipsi distribuitur. Si brachium adducas inter illius posteriorem faciem et capsulam, spatium quasi pollicem aequans reperitur mucosam cryptam exhibens.

IV.

Sublatis prioribus humeri musculis cum eorum aponevrosibus, scilicet pectorali ac deltoide, perelegans se se offert spectaculum, scapulae nimirum cum clavicula nexus, admirabilis humeri articulus, musculi, tendines, aliaque de quibus singillatim inferius dicendum. Inter musculos prior se exhibet subclavius extremitate interna primae costae, portione externa scapulae claviculaeque nexus, qui fibro-

sam arcuatam productionem exhibet, quae interno coracoidei processus margini nectitur, per unius circiter pollicis spatium, tegendo in primis coracoideam musculi pectoralis minoris insertionem, pergitque ad sternum dum strictior fit atque tenuior. A fibrosa hac productione fere triangularis exhibetur superficies, et margine anteriori libero efformatur arcus concavitate internam inferioremque thoracis partem respiciens. Qua de caussa fibrosam hanc productionem sub *aponevrotici arcus* nomine designamus, quae tamquam ligamentum ab aliquibus considerata fuit. Arcus hic saepe crassus vix compressioni cedit: tunc quamquam comprimatur coracoideam apophysim versus, subterposita numquam tangitur costa. Geminae sunt eiusdem arcus facies: superior respicit musculum deltoideum, et paucam pinguedinem exhibet: in inferiori spatium sat amplum in brachii motibus variabile reperitur, textus cellulo-pinguedinei copia, magnis arteriis, venis, et nervis repletum. Textus hic directam servat communicationem per posteriorem claviculae faciem cum *interstitiali* profundo colli textu, et eo, quem

describemus (§ IX). Mox descripta fibrosa productio, veluti alter subclavii musculi tendo haberi potest.

V.

Musculus pectoralis minor tendineo principio in apophysi coracoidea cum tendine iungitur musculi coraco-brachialis, extenditurque ad tertiam, quartam, quintam, quandoque ad sextam usque costam, quibus inseritur. Angulus prope rectus, efformatus a brachio adducto cum clavicula, dividitur a musculo pectorali minori: hac ratione duo exurgunt triangula, quorum alterum superius a clavicula circumscribitur, a superiori pectoralis minoris margine, et ab extremitate originis musculi pectoralis maioris superiorem sterni partem versus, quod dicimus *supra-pectorale*: alterum circumscribitur superius ab inferiori dicti musculi pectoralis minoris margine, exterius a brachio, et inferius ab anteriori alae columna, quodque *infra-pectorale* nuncupamus. Trianguli supra-pectoralis laterum mensura in brachii adductione, et in mediocri corpore *1 invenitur

*1 Velpeau. l. c.

esse, in primo descripto latere quinque circiter pollicum: in secundo pollices tres cum dimidio, in tertio pollices tres. Trianguli infra-pectoralis primum latus tres exhibet pollices, secundum tres cum dimidio, tertium quinque.

Musculus pectoralis minor, superius strictior, sed crassior, inferius subtilior, et latior est et, infrapositum vasorum, nervorumque fasciculum oblique secat. Anteriori facie respicit musculum pectoralem maiorem, a quo tegitur: posteriori vero facie, costarum nuper memoratarum, musculorum intercostalium, musculi serrati magni partem, versusque coracoideum processum magna vasa et nervos.

Musculus coraco-brachialis, fibris parallelis longitudinalibus constitutus, superiorem contegit musculi infrascapularis portionem, tendines musculi latissimi dorsi, et teretis maioris, inferiorem portionem arteriae axillaris, et superiorem brachialis, nervos et musculum-cutaneum, et medianum versus coracoideum processum; ita ut si arteria deprehendenda esset hoc in situ, hic musculus brachium versus detrudendus esset.

VI.

Subterpositus serratus magnus, ita firmiter basi scapulae adhaeret, ut nullo modo ex anteriori ad huius posteriorem faciem perveniri possit: costis innititur extremitate anteriori; anteriori externa facie musculo infrascapulari respondet, aliisque iam descriptis. Textus cellulosus laxus horum musculorum aponevroses coniungit, quae facillime separantur. Facie posteriori multo facilius a thorace dividitur.

Si scapulam parum e thorace removeas, respondentem infrascapularem musculum deprehendis, duobus trientibus scapulae fixum, et parvo humeri tuberculo insertum. Rationes servat hic musculus cum vasis, de quibus paullo inferius.

VII.

Ante aponevrosium enarratorum musculorum descriptionem, posteriorem alae partem considerabimus, quia aponevroses simul coniunctae se se reflectendo veluti unicam pluribus modis flexam constituunt laminam, sicque facilius partium descriptio intelligetur.

Cucullaris musculus primus se se offert

statim ac memorata (§ II) auferuntur strata : nexus posteriori atque externo claviculae margini, contra deltoideam insertionem, et scapulae spinae, non est cur pro nostro argumento immoremur in distinguendis aliis suis insertionibus occipiti, atque spinae. In posteriori regionis alae parte, portionem tegit musculi latissimi dorsi infraspinati supraspinati, angularemque scapulae, qui omnes, sublato cucullari, conspiciuntur.

Cucullaris musculus fibrosam superiori ex margine productionem emittit, quae toti posteriori nectitur claviculae margini, cumque fibrosa lamina (§ II) et fibrosa colli lateris membrana confunditur. Crassam robustamque esse hanc productionem, meminisse iuvabit.

VIII.

Musculus latissimus dorsi, dum sursum ascendit, supra inferiorem scapulae angulum transit, in tendinem desinens ubi interno sulci bicipitalis margini inseritur, et musculi teretis maioris tendini adiungitur. Ex inferiori huius margine *1 membranosa productio

*1 Portal, Op. cit. T. 2.

egreditur, quae ad brachialem aponevrosim efformandam concurrit. Notandum, tendinem sua insertione sic volvi, ut posterior facies anterior fiat, et vicissim.

Teres minor, e scapula ad externam humeri tuberositatem extensus, nonnullas musculares emittit fibras, quae per capsulam scapulo-humeralem distribuuntur.

Teres magnus, ex inferiori parte marginis externi scapulae ad sulcum bicipitalem extensus, inferius spatium circumscribit quadrangulare: alia latera sunt superius scapula et infrascapularis musculus, posterius longa tricipitis portio, anterius humeri collum. Celluloso textu repletus patet ingressus arteriae, et nervo circumflexo posteriori humeri.

IX.

Musculi supra-spinati et infra-spinati considerandi, qui ita a caeteris distinctis aponevrosibus sunt obvoluti, ut simul complecti musculos cum suis aponevrosibus videantur. E fovearum scapulae marginibus robustae aponevroses ortae ipsos circumdant in facie posteriori, eorumque facies, quibus scapulae adhaerent, cellulosas membranas exhibent:

supra-spinati vagina distincte adhaeret ligamentis *1 coraco-claviculari, acromio-claviculari, capsulaeque articulationis. Inferior musculorum facies humerum versus scapulae non adhaeret, sed incumbit textui celluloso laxo; tendines vero incumbunt cryptis mucosis. E facie inferiori tendinum et musculorum facilis transitus usque ad aponevroses: et migrantibus abscessibus horum musculorum anatomicae dispositionis ergo in alam facilis via patet.

Angularis scapulae, dum sursum ascendit ad transversas vertebrarum cervicalium apophyses, spatium quasi pyramidale triangulare circumscribit, quod plurimi chirurgo nosse interest. Spatium definitur posterius a musculo cucullari; interius nimirum versus apophyses transversas a musculo angulari scapulae, et scalenis posterioribus: inferius a musculo supra-spinato, et a tertia circiter media parte marginis superioris musculi infrascapularis: anterius et exterius a clavicula, et a memorata fibrosa cucullaris musculi productione (§ VII). Totum spatium textu

*1 Velpeau, l. c.

cellulo-pinguedineo repletum est, adhaerente capsulae scapulo-humerali iuxta supra-spinati, et infrascapularis musculi tendinem; qui textus transeundo sub claviculam confunditur cum illo, qui extat in spatio in anteriori facie infra arcum aponevroticum (§ IV) sito: facile anatomica structura partis suadet abscessus spatii descripti in alam haud aegre descendere *1.

*1 Savore Petrus agricola a Pianezza, annos 32' natus die 21 martii nosocomium D. Joannis ingressus est, et clarissimi professoris Riberi opem implioravit. Robusta constitutione praeditus, si pneumonitidem excipias, qua anteacto anno laboravit, plusquam energica antiphlogistica methodo devictam, numquam aegrotavit. Januarii mense capitis doloribus vexatus, fortasse a rheumatica caussa productis, intumescere coepit spatium inter inferiorem colli, et superiorem spinae sinistrae scapulae partem: nihil profuit venaesectio semel iterumque in usum vocata: magis magisque increvit tumor, ita ut maxima parte elevatus conspiciebatur musculus cucullaris. Musculares vires amisit, nec cessavere dolores, nisi primis martii diebus. Nulli in tumoris sede dolores antecesserant; sed tantum motibus respondentis brachii molesta erat sensatio in illo. Ad trutinam revocatus tumor, repertus fuit mole sua longe foetus caput excedens, et

X.

Nunc de musculorum aponevrosibus. Et primo quidem illa, qua continetur musculus pectoralis maior facilius intelligitur, si in ipsa patentissimam fluctuationem tactui praebens. At, quod interest, tumor minor infra anteriorem claviculae partem existebat, augescens aut subsidens, prout comprimebatur anterior vel posterior tumor. Hisce notis apparuit sedem eius esse in memorato spatio triangulari, a quo per supra-dictum textum cellulosum a pure fusum, facilis erat materiei contentae transitus sub dictum arcum aponevroticum. Considerata descriptae aponeuroseos natura valde extensili, et expensis malis quae consequuntur si pus diffundatur in alam, die 30 martii phlebotomo elevatioribus punctis binae institutae fuere apertiones ad pus evacuandum more Boyer: post dies octo septem aliae puncturae fiunt: tumorque anterior sub pressione evanescit. Semper minor fit puris collectio, textusque pristinam recuperant tonicitatem. Ad vitandam distensionem post tres dies nova fit punctura, quae iterum coalescit, minorque consequitur collectio. Tandem scinduntur reliqui abscessus parietes in facie posteriori scapulae, et die 23 aprilis convaluit, nosocomiumque reliquit. Semel venaesectio instituta fuit ad sedandam febrem fortasse ab atmosphaerae influxu genitam, et ab infelici cubilis positione.

describenda ab ipso musculi tendine exordiamur.

Aponevrosis brachialis marginem inferiorem tendinis versus in duas herciscitur laminas, per anteriorem musculi faciem altera, per posteriorem altera decurrit, quae simul coniunctae in marginibus liberis sic efformant musculi vaginam. Ubi tendinem tegit crassior, dein sensim sine sensu attenuatur aponevrosis etiam supra fibrosam tendinis productionem ad capsulam scapulo-humeralem: anterior lamina anteriori nectitur claviculae margini, decurritque supra venam cephalicam interposito strato textus cellulo-pinguedinei, indeque per sulcum decurrit, qui musculum pectoralem maiorem inter et deltoidem est: ibi crassior adhaeret *1 capsulae scapulo-humerali eodem modo ac illa a nobis descripta in § II atque a cl. Velpeau simul consideratae. Inferius cum abdominis musculorum aponevrosi confunditur *2. Anterior lamina fibrosam naturam acquirit: levis est extima in superficie; facie

*1 Velpeau, l. c.

*2 Portal, Op. cit. T. 2, pag. 130.

autem qua immediate musculo adhaeret, dissepimenta efformat, quae inter musculi fasciculos transeunt, et posteriori laminae adiunguntur, sicque musculi lacerti peculiaribus vaginis obvolvuntur. Haec dissepimenta cellulosam potius quam fibrosam indolem praeseferunt. Lamina posterior exterius fibrosa et crassior est quam in anteriori parte: subtilis minusque fibrosa interius: inferiori et posteriori claviculae margini, et capsulae scapulo-humerali superius nectitur: reflectitur haec posterior lamina supra anteriorem musculorum intercostalium faciem, indeque supra musculum pectoralem minorem, et serratum magnum: completam illi impertitur vaginam, cuius anterior *1 sat crassa, et cellulo pinguedinea est lamina: huic solummodo tribuit laminam, quae respicit faciem obversam musculo infrascapulari, atque scapulae basi se se reflectendo obvestit faciem liberam infrascapularis musculi usque ad eius tendinem. Notandum maxime est, has stipatas laminas in textum cellulo-pin-

*1 Velpeau, l. c.

guedineum resolvi in inferiori praesertim musculi pectoralis minoris facie, ubi lymphaticas circumambiunt glandulas. Dein laminae simul coniunctae una cum textu cellulo-pinguedineo sub arcu aponevrotico contento confunduntur (§ IV), et cum lamina cellulari musculi bicipitis, coraco-brachialis, supraspinati, infraspinati, et teretis minoris: qua de caussa magna hic habetur textus cellulo-pinguedinei copia, quae nexu proprio cum propinquis partibus pluribus modis moveri potest. Textus hic glandularum congeriem circumambit inter magna vasa positam, et musculum serratum magnum. Hae laminae inferius stricte adhaerent, et fibrosam, quae alae cavum claudit (§ II) membranam roborant, brachium versus positas glandulas obvolvunt.

XI.

Aponevroticae reliquae posteriorum musculorum vaginae sic se habent: si a cucullaris musculi facie ducatur initium, conspicitur primum eius aponevrosis cutem respiciens: aponevrosis haec super liberos musculi margines reflexa usque ad spinam obvestit eius

anteriorem faciem: ad spinam vero iterum reflexa conspicitur obvolvere musculum latissimum dorsi in posteriori facie: quae cum pervenerit ad marginem liberum eiusdem musculi reflectitur supra eius anteriorem faciem, denuo petitura spinam, ex qua iterum reflectitur supra thoracem, et thoracicam musculi serrati magni faciem obvestit. Ad scapulae marginem externum, anterior musculi latissimi dorsi lamina distinctam musculis tereti maiori, et minori tenacem impertitur vaginam, deinde tegit musculi latissimi dorsi tendinem, cuius inflexioni (§ VIII) accomodatur. Posterior musculi latissimi dorsi lamina uti superius innuimus (§ II) confunditur cum lamina aponevrotica superficiali: facta dein anterior in alae cavo roborat aponevrosim superficialem, indeque concurrit cum bicipitis aponevrosi ad efformandam vasorum et nervorum aponevroticam vaginam, qui supra tendinem musculi latissimi dorsi iacent. Lamina autem anterior magis cellulosa nonnullas obtegit glandulas, et una cum memorato (§§ IV et X) textu cellulo-pinguedineo confunditur.

XII.

Aponevrosis brachialis dum sursum ascendit, in alae cavo pectus versus reflectitur, et superficialem confirmat aponevrosim, cum textu cellulo-pinguedineo sub arcu aponevrotico posito indirecte communicat ope vaginae pectoralis maioris et bicipitis. Aponevrosis brachialis in duas laminas divisa deltoideum musculum obvestit, quarum anterior sat fibrosa, et cellulosa parumque pinguedinea posterior: externa duplicatione vaginae musculi deltoidis, una cum tricipitis vagina posterior efformatur sulcus. Quocirca musculi abscessus difficile cutem versus, sed potius ad capsulam scapulo-humeralem, et ad alam feruntur.

XIII.

Quum initio innuerimus alae anatomen a nobis considerari quod ad alae abscessus et axillaris arteriae ligaturam attinet; idcirco priusquam ad reliquas descendamus anatomicas partes, breviter in perpendendis actionibus iam descriptarum partium immorabimur, cum artus superior movetur. Musculi artum movent, aponevroses musculorum motus se-

quuntur: ob id mutationes quae in alae musculis fiunt, non absimili ratione in aponevrosibus fieri inferendum. Et primo quidem elevatores contractionibus suis inferiorem aponevrosim tendunt, et distantia, quae inter summitatem cavi et aponevrosim habetur, in alae cavo augetur, minuiturque in perpendiculari brachii adductione: differentiam constituit perpendicularis arcus ad chordam. Textus cellulo-pinguedineus (§ IV) in elevatione tenditur; et si vel inflammatus, vel debilis, novaeque formationis sit, lacerari potest. Haud dissimiles effectus inducere queunt rotatores externi: musculi dumtaxat adductores, si contrahantur, tunc textum cellulo-pinguedineum non tendunt, quin imo laxant, faventque partium proximiori contactui: ad quem assequendum contractione opus non est; sufficit enim artus adductio.

XIV.

Qui antebrachium movent musculi, vel directe vel indirecte in nuper memoratum cellulosum textum pariter agunt. Flexores directis communicationibus, et indirectis brachialem ob aponevrosim, procul dubio mu-

tationes inducunt: ita extensores. Quod vero ad manus musculos attinet animadvertimus, plerosque humero adhaerere; et suis contractionibus in ipsum motum inducere, inde et capsulam movere, et cellulosum textum. Insuper suis ut fungi officiis musculi valeant, punctum fixum exposcunt: humerus autem arthrodia cum scapula articulatus mobilissimus est; et tunc solum fixus apparet, quum alae musculi viribus suis ipsum immobilem reddant: indirecte igitur contractiones musculorum manus alam movent, quatenus egent inter agendum puncto fixo in humero, quod haberi nequit *ni* una simul moveantur musculi alae, et adnexa strata aponevrotica, et cellulosa: praeterea, quae a communi aponevrotica membrana dependent, addantur rationes. Si porro perpendamus maiorem vel minorem vaginarum laxitatem, deprehendemus, *passivis* flexionis motibus antebrachii semiflexionem fere ad completam flexionem deferri posse, quin cellulo-pinguedineus moveatur textus: et contra moveri *activa* flexione propter memoratas caussas. Pari ergo ratione fieri potest passiva digitorum semiflexio, non

vero activa. Breviter concludi potest, in perpendiculari brachii positione et adductione, antebrachii et digitorum semiflexione haberi opportuniores conditiones ad contactum parietum obtinendum, quando cellulo-pinguedineus textus vel imminutus vel destructus sit, quod nosse plurimi interest in pathologia (Vid. Thes. ex path. § XVI et seq.).

XV.

Ordo nunc exposcit, ut de vasis, nervisque pertractemus. Exordium ducimus ab arteriis, a maximo nempe regionis trunco: minora dein vasa prosequemur, quae partis nutritioni inserviunt, et anastomoses indicabimus, quibus in capillaribus vasis circulatio fit, etiam praesente impedimento in maximo arteriae trunco. Cum clarissimo Taurinensi professore Geri *1 sub arteriae axillaris nomine arteriae truncum e margine inferiori claviculae, usque ad inferiorem marginem musculi latissimi dorsi complectimur. Ipsa oblique descendit e media circiter inferiorique claviculae parte humerum versus: incessu

*1 Terapeutica operativa, pag. 33.

fit magis magisque externa, usque dum ad internum musculi bicipitis marginem perveniat infra musculi latissimi dorsi tendinem, ubi humeralis nomen sortitur.

Quas caeteris cum propinquis partibus servat rationes maximi sunt momenti chirurgo operatori, qui axillarem deligare velit arteriam. Quarum praecipuas exponemus, antequam alia persequamur.

A musculo pectorali maiori poenitus reperitur obtecta: isto sublato, a musculo subclavio, et ab arcu aponevrotico (§ IV) superius tegitur per spatium circiter pollicis semissi: spatium deinde invenitur pollicem aequans priusquam ad superiorem pectoralis minoris marginem perveniat: postea quasi per alterum pollicem decurrit sub huiusce musculi tendinem: duo circiter pollices intersunt infra tendinem minoris pectoralis musculi et arteriae axillaris extremitatem. Duce Harisson arteriam contemplabimur in hisce tribus memoratis partibus.

XVI.

Vix e musculo subclavio egressa, arteriolam emittit ab equite Scarpa *thoracicam* pri-

mam nuncupatam, quae interius fertur inter musculum serratum magnum et pectoralem minorem, quibus, tum et primis intercostalibus musculis ac tegumentis distribuitur. Anastomoses init cum arteria mammaria interna, cum thoracica acromiali, et mammaria externa. Iuxta superiorem musculi pectoralis minoris marginem thoracica acromialis ab arteria axillari oritur, cuius parvus ramus anterior venam axillarem secat, et ad posteriorem pergit pectoralis maioris faciem, ipsique praecipue distribuitur; exceptis binis ramis ab eadem arteria procedentibus, quorum alter ad sternalem vergit claviculae extremitatem, et cum arteria *scapulari superiori thyreoydea*, mammariis internis, et superioribus intercostalibus inosculatur: alter *acromialis* proprie dictus per anteriorem alae sulcum decurrit (§ III), et distribuitur praecipue deltoideo musculo, ubi anastomoses init cum arteria *scapulari superiori thyreoydea*, *transversa cervicali thyreoydea*, *cervicali profunda subclaveari*, et *circumflexis* humeri arteriis *1.

*1 Scarpa, Osservaz. sugli aneurismi.

Porro ramusculus acromialis circumambit cephalicam venam ad instar spirae, priusquam in deltoidem inseratur.

XVII.

Praeter haec, alia plurima animadvertenda. In cadavere vena axillaris reperitur anterius et aliquantum interius posita; at quum in viventibus haec turgeat, tota tegitur arteria a vena. Posterius primae et secundae costae, atque intercostali primo musculo incumbit axillaris arteria; dein supra serratum magnum, interposito nempe textus cellulosi strato, mediate decurrit: exterius et superius plexus inest brachialis, qui prope marginem superiorem musculi pectoralis minoris anterius fertur, una cum textu cellulo-pinguedineo (§ IV) descripto. In parte inferiori trianguli supra-pectoralis arteria tegitur a comite vena axillari, uti dictum est, et ab originibus nervi mediani: in superiori vero ab arcu aponevrotico: hisce adde arteriae directionem oblique secari in viciniis musculi subclavii a parvulo nervo thoracico anteriori *1.

*1 Scarpa, Tabul. nevrologicae.

XVIII.

Altera arteriae axillaris portio, quae a pectoralis minoris tendine tegitur, musculo infrascapulari, et paullulum humeri capiti respondet. Ibi reperiuntur origines nervi mediani, altera scilicet in posteriori, altera in anteriori arteriae facie sita, quae, dum ad se invicem accedunt, ut insimul tandem in inferiori et anteriori parte eiusdem arteriae exeuntis e margine inferiori musculi pectoralis minoris iungantur, quasi annulum efformant, quo ipsa arteria a vena in interna parte sita seiungitur. Haec ipsa arteriae axillaris portio thoracicam anteriorem, sive mammariam externam emittit arteriam, ex latere interno; quae pariter axillarem venam secat, deinde sub pectoralem minorem musculum decurrens ipsi distribuitur, atque celluloso textui (§ IV) et glandulis alaribus superioribus, et mammae: anastomoses init cum arteria thoracica prima, mammaria interna, et arteriis intercostalibus inferioribus: atque hoc pacto novam cum arteria aorta thoracica communicationem subit.

XIX.

Inferior et ultima arteriae axillaris pars paullo subtus marginem pectoralis minoris ortum elargitur arteriae *thoracicae* alari, indeque *scapulari inferiori*. Quum haud raro arteria thoracica alaris a scapulari inferiori procedat; idcirco simul ipsas complectimur, omissis parvis ramis alae dicatis. Arteria *scapularis inferior* a musculi pectoralis minoris margine integrum fere pollicem distat: in posteriorem decurrit nervorum partem: ad posteriorem fertur scapulae faciem, musculum infrascapularem inter, et longum tricipitem transiens. Conspicuum hoc vas, ita suis anastomosibus ad servandum circuitum inservit, quoties arteria axillaris in superiori obstruitur parte; adeo ut, si in cadavere ipsa deligetur, et syphunculo in subclavearem arteriam injiciatur non purissima materies, humeralis arteria repleta invenitur *1: ope *thoracicae alaris*, anastomoses init cum arteriis *humerali profunda*,

*1 Hodgson, Trattato delle malattie delle arterie, e delle vene. Milano, 1823, vol. 2, sez. VI.

mammaria externa atque interna, et intercostalibus *1: in scapulae periosteo cum *scapulari superiori thyreoydea* communicat *2, deinde circumflexa scapulae effecta, a musculo infraspinato obtecta, cum arteria *scapulari superiori* thyreoydea, cum *cervicali* transversa thyreoydea, cum *cervicali profunda subclaveari*, et *dorsali* arteria scapulae, tum et intercostalibus inferioribus anastomoses iterum init. Si autem ad communicationes attendas, quibus gaudent arteriae, quae una cum scapulari inferiori anastomosi nectuntur, facile concipies quomodo etiam subclaveari arteria obstructa, superiori in artu sanguinis fiat circuitus. Perbelle communicationes istae demonstrantur a tabulis celeberrimi itali viri Scarpa *3. Quandoque a scapulari inferiori exoritur arteria circumflexa anterior: quae saepe distincte ab axillari promanat, in superiores humeri partes distribuitur, pluresque ad capsulam articularem, et ad deltoideum musculum ramos di-

*1 Scarpa, l. c.

*2 Haller, fascicul. vi, tab. 2, fig. 2. Gottingae 1753.

*3 Op. cit., tab. v, vi, vii.

mittit: plures cum *scapulari superiori tyreoydea* anastomoses instituit, et *circumflexa posteriori humeri* cum *thoracica acromiali, et humerali profunda.* Posterior circumflexa (§ VIII) praeter anastomoses cum anteriori communicationem habet cum *scapulari thyreoydea superiori, scapulari inferiori, cervicali transversa subclaveari, et profunda humerali:* distribuitur praesertim capsulae, et deltoideo musculo. Pollicis spatium circiter existit inter arterias circumflexas, et humeralem profundam, quae cum plerisque brachii vasis anastomoses servat.

XX.

Inferioris portionis arteriae axillaris rationes cum proximis partibus sunt, interius et aliquantum anterius cum vena axillari, quam inter et arteriam decurrunt nervi cutaneus internus, cubitalis, ramusque posterior mediani: posterius cum tendinibus musculorum infrascapularis, et latissimi dorsi, aeque ac cum nervis radiali, et axillari, quibus innititur. — Vix egressa eadem arteriae axillaris inferior pars e margine inferiori musculi pectoralis minoris, exterius et

paullo anterius rationes servat cum altera mediani origine, et perforanti Casserii, a quibus nervis per latus externum paullum tegitur: indeque cum humero supra quem decurrit. Hi nervi et vasa ab aponevrotica vagina sat robusta ita revinciuntur, ut funiculi speciem referant, quem secant bini nervi ab intercostalibus prodeuntes, dum alam versus pergunt.

XXI.

Arteriis venae respondent: illarum cum axillari arteria potissimum expendendae forent rationes: iis iam traditis quae ad venam axillarem spectant, breviter in earum expositione immorabimur, quarum positio ad arteriae deligationem perpendendam animadvertenda superest. Cephalica vena, quae anteriorem in sulcum decurrit (§ III) anteriori in facie, infra musculum subclavium, axillarem venam ingreditur; arteriam secat, sique ipsam sequaris, statim istam invenies.

Basilica vena, et *collaterales* arteriae scapularis inferioris, et circumflexarum arteriarum internam venae axillaris faciem ingre-

diuntur, versus marginem anteriorem musculi infrascapularis: dum aliae plures parvae venae arteriam secantes in eamdem venam axillarem aperiuntur: quocirca inferior arteriae axillaris pars plurimum a venis circumdatur.

XXII.

Notandum maxime est, haud constantem esse arteriarum modo enumeratarum originem, et anastomoses *1, et constantiorem deprehendi illarum distributionem: ita arteria scapularis inferior *2 quandoque a thoracicis oritur: circumflexae vel unico trunco e scapulari emanant, vel distincto: imo observatum fuit, anteriorem *3 oriri a *scapulari superiori thyreoydea:* quandoque axillaris arte-

*1 Arteriae cum arteriis ita amice conspirant, ut non tantum sua in se se mutuo oscula inserant, sed et altera in alterius territorium digressa late diffundatur, ita quidem, ut confiniorum quibus se se attingunt limites ab Anatomicis ad unguem definiri neutiquam possint, exceptis iis locis in quibus natura septo cava divisit, et limites diversi agri fixo descripsit termino (Hebenstreit, Dissert. de arteriarum confiniis).

*2 Portal, op. cit., t. III.

*3 Ib.

ria ipsa prope arcum aponevroticum in radialem et cubitalem dispescitur, quod procul dubio perraro contingit.

Correspondentes venae minus inconstantes sunt, sive originem, sive cursum, sive terminationem spectes.

XXIII.

In longum nimis protraheretur oratio, si lymphatica alae vasa minutim describenda superessent. Sed pro re nostra haec animadvertisse sufficiat, alia nempe superficialia esse, alta alia seu profunda: prima a manu provenientia decurrunt secus venas superficiales: plurimas anastomoses ineunt in cubito, ubi transeunt per glandulas, deinde per externam brachii faciem usque ad deltoidem *1, quo in loco glandulas alares ingrediuntur. Alta sive profunda minori numero iuxta arterias incedunt, et alae glandulas subeunt, quae sanguinea vasa circumdant: tamen in bina strata distribui possunt, anterius scilicet atque posterius: in hisce glandulis cum lymphaticis scapulae vasis communicant, cum subcuta-

*1 Mascagni vasorum lymphaticorum Historia pars II, art. III.

neis trunci *1 usque ad umbilicum, tum et cum iis quae a glandulis mammariis egrediuntur, ut simul tandem collecta in ductum thoracicum aperiantur. Magis adhuc inconstans vasorum lymphaticorum numerus, ortus, decursus, anastomoses: distributio tamen minus errat. Quo numero existant, vix mente assequimur: quam Mascagni sententiam inficiari nequimus, cum ipsa frequentissima observaverimus in cadaveribus a Senensi Professore iniectis, quae Florentiae adhuc asservantur.

XXIV.

Quum vero in arteriarum analysi nervorum rationes reciprocas iam strictim prosecuti simus, pauca adhuc de nervis exponenda supersunt.

Supra-scapularis nervus e quarto et quinto cervicali proveniens per superiorem scapulae erosionem distribuitur musculis supra-spinatis, infra-spinatis, et tereti minori.

Infra-scapularis e radiali, et circumflexo promanans, uti primus paucas rationes cum

*1 Mascagni, Op. cit. art. iv.

arteriis servans, posterius incedit, distribuiturque musculo infrascapulari et tereti maiori.

Thoracicus anterior a sexto, et septimo cervicali, et e primo dorsali ortus, axillarem circumambit arteriam, atque pectorali maiori et minori, et textui cellulo-pinguedineo distribuitur.

Thoracicus medius et posterior serrato magno, et latissimo dorsi distributi posterius incedunt.

Cutaneus externus vix ortus, fertur ad musculum coraco-brachialem, per quem transit: cutaneus autem internus venam inter et arteriam positus, non semel eo pollet volumine ut medianum exaequet *1.

Cubitalis pone venam condylum internum versus decurrit.

Radialis et circumflexus se se in posteriora ferentes, cum arteria magni momenti rationes profecto non servant.

Secundus demum dorsalis nervus emittit ramum, qui communicationem servat cum cutaneo interno: dat alterum pinguedini et

*1 Velpeau, l. c.

glandulis alaribus distributum: tertiusque dorsalis concurrit uno nervulo ad alae vitam.

Quod de vasis diximus, idipsum de nervorum variationibus propemodum intelligendum occurrit.

XXV.

Scapulo-humeralem brevi tandem expendemus articulationem. Caput amplum superficiali vix concava articulatione nexum musculorum et capsulae scapulo-humeralis ope, infinitos propemodum motus inducere potest. Capsula nectitur circumferentiae fovae cartilagineae scapulae, atque anatomico humeri collo: amplitudine sua contigua est capsulae mucosae acromii, interpositisque ligamentis memoratorum musculorum tendines (§ IX) scapulae priusquam in humerum inserantur, per eius laminas decurrunt. Sat enim est crassa. Incisa capsula observatur foramen foveae glenoideae internum latus versus, quod mucosam ad cryptam inibi sitam perducit. Posito ante-brachio semiflexo adductoque, et sibi commisso brachio, spatium pollicem aequans existit inter humeri caput, et summitatem scapulae. Hoc spatium cir-

cumscribitur a portione faciei articularis, a superioribus apophysibus, a ligamentis scapulae, et a capsula articulari.

Caeterum complete alam contemplari quod ad Chirurgiae pathologiam spectat perarduum est. Pro nostro instituto graviora attigisse sufficiat: omnibus numeris absolutum opus feliciora ingenia desiderat.

EX PATHOLOGIA SPECIALI

De frequentioribus morbis, quibus cadaverum Prosectores facile afficiuntur.

Primaevos homines ab extispicio cadaverum abhorruisse suadet naturalis animalium instinctus, quo mirabili Supremi Numinis iussu unaquaeque animantium species propriae conservationi vigilantissime prospicit, et mortem horrendum in modum reformidat. Homo solum futurae vitae conscius, divinis ac humanis disciplinis eo adducitur, ut mortalibus exuviis contristatus, non perterritus, labentis vitae commodis modice fruatur, vel infortunio assidue percitus ineffabilis animarum pacis spe recreetur. Mors ideo spectata veluti naturae dissolutio hominem ad se metipsum investigandum allicit, videlicet anatomicis viam

aperit, qua, perlustrata singularum partium textura, vitae animalis organa demum innotescant. At neminem fugit sic obrui difficultatibus et periculis rerum anatomicarum scientiam, ut, superato corporum iam putrescentium horrore, et proculcatis veteris antecaptae opinionis ambagibus, miasmata, contagia, ac pestiferae cadaverum emanationes a Prosectore devitari non possint: qui propterea, dum Societatis bono tam arduo ingenii et manuum exercitio prospicit, gravissimis subigitur illorum morbis, quorum ferocia vel artis impotentia, vel medentis, aut aegri culpa, postremum maturari fatum conspicimus. Iuverit idcirco Prosectorum mala ab hoc fonte progenita hic a nobis delibari: fusius, quoad vires sinunt, de alarum bubone disseremus, haud immemores diri, quem pertulimus, casus.

I.

Morbi a necroscopia manantes, vel Prosectores haud laesa cutis continuitate pervadunt, et ab universali impressione dependent, vel a venenoso et septico principio immediate per accidentale vulnus, aut per exco-

riationem intruso producuntur: hinc primaria et secundaria mala observanda occurrunt: postrema vero topicam insitionem frequentius excipiunt.

II.

Quoad universalem caussarum impressionem absque continui solutione, animadvertimus miasmata, et putridas cadaverum emanationes in Prosectorem duplici ratione agere; nimirum vel intrusa delitescunt, vel citissime morbum cum magno vitae discrimine concitant. Huiusce generis exemplum habemus in historia Baccalaureorum Parisiensium, qui *1 dum ad Prolysin contendebant, vix reserato putridi cadaveris abdomine, male affecti sunt. Syncope correptus unus *2 periit: caeterosque nonnisi post gravissima mala ab orci faucibus arreptos fuisse legimus. Supervacaneum ducimus alia huiusce census exempla ab auctoribus depromere. Hinc ratio expendenda est, qua tam

*1 Consul. Percy: *Dangers dans les dissections.* Auctor memorat ibi hos alumnos: nimirum Chambon, Corion, Fourcroy, Languerenne et Dufresnoy.

*2 Corion.

noxii effectus in humana oeconomia ingenerantur.

III.

Syncopes phaenomena, quae statim in illis apparuerunt, demonstrant ab intrusa septica emanatione, ita molesto irritanti modo vitae principium in primis affici, ut nervorum efficientiam, nec non sanguinis circuitus remittant et concidant. Quod et ipse asserit summus medicinae Parens propriis innixus observationibus ad paludem Meoticam: quod equidem confirmat nuper recensitum Baccalaureorum exemplum, quorum unus *1 post nychthemeron febre intensissima divexatus iam prope occumbere videbatur: at, suborto urentissimo, et copioso critico exhanthemate, vitae periculum superavit. Duos vero *2, diutino morbo conflictatos, numquam penitus convaluisse constat. Qui demum*3 cadaver incidebat vehementer in Praesidem indignatus, ephemera febre in copiosissimum

*1 Fourcroy.

*2 Languerenne, et Dufresnoy.

*3 Chambon.

sudorem resoluta e morbo incolumis evasit.

IV.

Propterea nos in ea versamur opinione, scilicet virium prostrationem sive veram, sive apparentem immediate sequi septici miasmatis e cadavere prodeuntis actionem, cui serius vel ocyus superveniunt viventis aeconomiae reagentes conatus, quibus natura animalis expellere vel destruere nititur deleterium principium. Nam syncope et asphyxia, quae observandae occurrunt in prima miasmatis actione, et acuta febris, quam saepe adducit subsequens morbi periodus, utramque virium mutationem fieri suadent. Hinc praecipua deducitur organis respirationis et circuitus noxia miasmatum virtus, quam et ipsum pati haepato-gastricum apparatum morborum historiae *1 testantur: eadem caussa aegroti in nosocomiis saepe modo levi, modo intenso gastro-enteritidis gradu laborare deprehenduntur.

*1 Plures medicinae alumnos in parum mundis amphytheatris diu anatomiae pathologicae studio incumbentes febre mucosa correptos se vidisse refert Alibert.

V.

Irritativa et phlogistica suique generis morbi natura praesertim in iis evincitur, qui mala experiuntur continui solutionis caussa: carbunculi ad exemplum, pustulae malignae, aliaque mali ominis inflammationis indicia suscitantur, quae saepissime manum vel brachium alarumque glandulas obsident: quibus adduntur generalia et gravissima corporis pathemata, consensu, vel morbi expansione progenita.

VI.

Ponamus vel levi *1 digitorum vulnere Prosectoris manum affici: dolor plerumque

*1 Anno elapso mense iunii amplissimi Chirurgiae Collegii Doctor, et Collegii S. Francisci a Paula Praefectus Bianchetti, fortuito puncturam spinae passus pollicem sinistrum versus, post nychthemeron necroscopiam instituit, quin punctura, quam passus fuerat, recordaretur. At vespere dolore immani acerboque torquetur, qui noctu increvit, superaccedente agitatione. Locum puncturae dolentissimum scarificationibus subigitur, doloresque nihilominus non imminuuntur; quin imo rapide incedens intenditur morbus, febrem inflammatoriam gignit, cubitusque eo in loco, ubi nervus cutaneus internus

vehemens vel tumor consequitur, quem suppuratio, et gangraena excipiunt. Dolor

percurrit fit dolens, et tumidus. Lymphatica glandula sub musculo pronatore tereti centrum phlogistici tumoris exhibet, ac limites, quibus circumscribitur incipiens morbus. Hyrudines peripheriae applicantur; neque tamen mitescit inflammatio. Clarissimus Professor Geri aegroti curationem suscipit, tumoremque post sex dies ovum gallinaceum magnitudine superantem, et fluctuantem deprehendit. Febris hactenus intensissima evanescit. Emollientia cataplasmata continuo tumori applicantur, qui tamen absque manifesta crisi ita imminuitur, ut parva tantum detegatur glandula adhuc dura. Nulla praegressa manifesta caussa iterum recrudescit febris, elevaturque tumor, mox in suppurationem iterum abiturus: eodemque modo, uti iam diximus, resolvitur, rursum post paucos dies se se exasperaturus, ut tandem permanens resolutio contingat. Interea per integrum mensem perdurat morbus consequens in brachio; dum vulnus post levem suppurationem coalescit. Parva durities in brachio persistit, et post duos alios menses omnino resolvitur. Brachium usque adhuc debile pristinas recuperat vires. Severa diaeta, potionibusque refrigerantibus Professor clarissimus usus est ad extinguendum morbum. Hoc modo laetanti animo aegrotum bonae restitutum valetudini salutavimus.

a digitis per antebrachium ad alam perveniens, saepe datam percurrit lineam *1 haud raro tumidiusculam et rubram, atque a tactu recrudescentem: hinc prava vulneris indoles ex ipsa morbi apparitione deducitur. Porro rem clare demonstrant complexus symptomatum, et curatio, de quibus mox erit dicendum. Quare pronum est inferre localem et universalem enarratorum morborum originem a miasmatico septico principio repetendam esse: utrum vero illud infestius habeatur deleterium principium, quod serosae membranae phlogosi laborantes, quam quod putredine correptae partes ingenerant, uti censet SHAW *2, haud satis demonstratum haberi posse censemus.

VII.

Id insuper commune servant cum caeteris caussis deleteria vel miasmatica principia, ut illorum effectus multiformibus subigantur vitae phasibus, et conditionibus, quae,

*1 MONTEGGIA, *Annotazioni alle malattie veneree.*

*2 OMODEI, *Ann. univ. di medicina*, vol. XXXVII, pag. 135.

prout aetas, sexus, temperamentum, idiosyncrasia, vitae genus, praedispositio differunt observandae se exhibent. Sunt enim corpora adeo intemerata, et valida, ut nullam a miasmatibus noxam experiantur: alias miasma laevia tantum edit phaenomena, quae brevi evanescunt *1: alias gravissime nocet: nihilominus artem et naturam medicatricem haud semper respuit. Observatione quidem constat, debiliores, maiori mobilitate praeditos, intemperantes, paratiores esse ad miasmata excipienda. In istis raro desiderantur pathemata quae super innuimus (§ V), et quandoque absque ullo dolore in vulneris sede, puta in digito *2,

*1 Dum Pisis anno 1825 anatome studebam, condiscipulus meus D. Philippus Desiderj, fortuito a cultro meo leviter in integumentis digiti medii laesus fuit. Promptissimis lotionibus aquae usus sum: at sequenti die bubo in respondenti ala a sat intensa febre comitatus apparuit. Viginti horarum cursu subveniente febre adducente copiosum sudorem, brevi penitus in resolutionem abiit bubo, parvumque vulnus coaluit.

*2 Percy. l. c.

ac praegressa tantum anxietate, gangraena membrum corripitur, et aegri brevi temporis intervallo pereunt. Interdum diuturnam post delitescentiam, uti alibi innuimus, *1 dolere incipit vulnus inflictum, mox diros cruciatus adducturum, ulcusque pessimum allaturum. Si dolor acriter urgeat, extendaturque ulcus, ut plurimum febris exurgit, quae pluribus de caussis variare potest: tumor saepe in ala exoritur, qui vel idiopathicus est, scilicet ab absorptione dependens, vel sympaticus, quum a dolore tantum exoritur. Hic verus bubo, qui differt tantum caussa a pestilentiali, non semper uti plerique falso sibi persuaserunt, in glandulis lymphaticis residet; sed saepe saepius circumpositum illis textum cellulosum primitus afficit, et fere semper in hoc uno totam morbi periodum metitur, et in omnes phlogisticorum tumorum exitus abire potest. Posita autem praedispositione oriri

*1 Opuscoli della Società medico-chirurgica di Bologna Vol. VI. *V.* Bertinatti. Storia di un ulcero al dito complicato da ascesso all'ascella, degenerato in fistola.

possunt quam plurima alia mala, quae caussae deleteriae noxam graviorem *1 reddere valent.

VIII.

Quae febrem comitari soleant non facile dictu. Haec plus minusve intenditur, atque irritativam vel inflammatoriam induit formam, eademque fere ratione progreditur, qua vulneris phaenomena incedunt, quorum diffusione concitatur: in plethoricis et sanguineis animi fortitudine praeditis genuinae phlogoseos indoles patet, et more febrium acutarum incedit *2; contra in delicatulis,

*1 Chambon, teste celeb. viro Hallé per tres annos arthritide acuta laboravit, quae tunc solum apparuit, quum casu ab osse sphaenoide diu macerato eius digitus leviter laesus fuit. A digito arthriticus dolor se se diffudit ad caeteras articulationes.

*2 Annibal Reina Taurinensis Chirurgiae facultatis alumnus, optima sanguinea constitutione praeditus: dum anatomicis studiis vacabat die 17 decembris anni 1828, forte a condiscipulo, qui cultrum humore cadaverico inquinatum gerebat, vulneratur in inferiori parte internae faciei antebrachii: vix cutis laesa fuit, vixque sanguis egressus est: post nychthemeron, vulneris loco pustula apparet aliquan-

laboribus fessis, animo irrequieto donatis, gracili et imbecillo corpore instructis, vix oborta febre, morbus ad nobiliora viscera protenditur, delirium apparet, virium sum-

tum dolens, dolorque meridie increscit, iterum vespere recrudescens, atque intollerabilis fit, praecipue iuxta directionem radialis nervi: nihil tamen cutis tumefacta conspicitur supra nervum: tumor circumscribitur vulneris loco, cui emolliens imponitur cataplasma: febris ardens exoritur. Sequenti die adolescens amicus sui morbi curationem mihi committit: gravis in aegroto viget febris, omnibus synochae symptomatibus comitata praeter ea nuper descripta: pulsus frequentes, et durissimi fiunt: venae sectione, severa diaeta, et copiosis antiphlogisticis potionibus in primis, meo ex praescripto adhibitis, mitescit morbus: tertia die iterum secatur vena, et rursum crusta contegitur sanguis. Dolor iuxta nervum tunc cessat, et in solo vulneris puncto se sistit: ibi subterpositus cellulosus textus fit durior, sedemque praebet furunculo dolentissimo rapide in gangraenosam suppurationem desinenti. An ob intensitatem suam anthrax dicendus hic tumor? Quindecim post dies coit vulnus, mox iterum aperiturum, a quo lympha deinde effluit per alios viginti dies. At perfecte tandem aliquando coalescit.

ma prosternatio sequitur, ac livor partis deficientem reactionem patefacit. Non est sane expeditum definire huiusce febris durationem. Invictus mortis imminentis metus etiam fortissimos affligit, in quibus delirium vel remittere, vel intermittere solet: quo fit ut aeger pergravem sui morbi conditionem agnoscat, atque indesinenter imminens fatum horreat.

IX.

Quomodo febris exoriatur, quare tot induat formas, cur bubo in ala appareat, nondum in assignanda caussa inter se consentiunt auctores. Alii namque venenosi principii absorptionem admittunt per vasa lymphatica, quod alares glandulas percurrendo ipsarum intumescentiam producat: alii vero per venas absorptionem fieri autumant, exitusque phlebitidis adducunt ab anatome pathologica depromptos: alii tandem solo consensu ab inquinato vulnere omnia symptomata exoriri censent. Non spernenda quidem pro unaquaque sententia existunt argumenta: si tamen animadvertamus phaenomenorum varietatem a textuum diversitate, in

quos deleterium principium suam exercet actionem, pendere posse, omnes forte expediuntur memoratae phaenomenorum phases. Ita si levis *excoriatio* existat, ut plurimum lymphatica vasa brachii dolent et tument: si profundum fuerit vulnus, atque abscissae fuerint venae, per istas absorptionem fieri, et earumdem inflammationem enasci posse haud diffitemur: si punctura tantum extiterit, nervusque laesus fuerit, symptomata manifesta, vel obscura, vel subdola etiam gravissima oriri posse censemus nervea irritatione concitata. Neque demum maxima dispositio textus cellulosi ad morbi diffusionem silentio praetermittenda est *1. Plures idcirco patent viae ad principii deleterii introductionem.

X.

Ex hisce omnibus patet veram deprehendi quoad contagia eximii Brera sententiam *2,

*1 Transazioni della società medico-chirurgica di Edimburgo, vol. I. Casi di infiammazione del tessuto cellulare succeduti a ferite riportate in dissecando cadaveri, di Andrea Duncan jun., ec. ec.

*2 Brera de' contagii.

quam nos ad miasmata referimus, scilicet effectus miasmatum animantium, in viventi corpore occurrentes, ab irritatione gigni, semperque se prodere in ratione composita vis miasmatum, et peculiaris vitae conditionis.

XI.

Bubo alaris frequentissima cuiusvis deleterii principii insitionis sequela, peculiarem sibi vindicat attentionem tum quoad sedem, tum quoad exitus, quibus ipse subjicitur. Bubonis caussam sui generis principium constituere, haud diversa ratione agens, quam in ipsa febris productione ex superius allatis iam satis liquet (§ IX). Nunc vero ad varias bubonis species progrediemur. Et primo quidem inquirendum cur quandoque tumor ab origine tactui durus, levisque sit, quandoque inaequalis. A textuum diversitate, quos afficit inflammatio, id praecipue pendere arbitramur: videlicet cum levis est tumoris superficies, existimamus eius sedem positam esse in textu cellulari subcutaneo alae: inaequalem vero tumorem tactui fieri censemus, si primo phlo-

gosi vel distinctae alares glandulae, vel textus cellulosus illis vicinior corripiantur. Caeteris paribus maior semper est inaequalitas si tumor efformetur a superficialibus, quam a profundioribus alarum glandulis, quae stipata aponevrosi obvolutae aegre sub sensibus cadunt, atque ob id difficilius explorari se sinunt. Bubones alares, qui in peste bubonica apparent, in superficialibus glandulis sedem habere videntur: ipsos enim infima in alae parte ad pectus se vidisse testantur Massaria, Medici Massilienses *1, Paris *2, De-Mertens *3, Larrey, Desgenettes, aliique pestis bubonicae observatores accuratissimi.

XII.

Huiuscemodi bubones vel in resolutionem

*1 Del governo della peste, di Ludovico Muratori, lib. 2, cap. VIII. e traduzione dell'opuscolo de' Medici marsigliesi sulla peste di Marsiglia, Torino 1721.

*2 Paris = Memoria sulla peste, coronata dalla facoltà di medicina di Parigi 1778.

*3 Caroli De-Mertens medicin. doctor. observ. medicae Ticin. MDCCXCI. Historia pestis moscoviensis anni 1771.

abeunt *1, vel in duritiem transeunt, vel suppurant, vel in gangraenam desinunt: quandoque duri diuque stationarii evadunt, et post temporis fluxum plus minusve diuturnum, gravi phlogosi corripiuntur, in proprios exitus festinante. Febris, si iam cessaverit, iterum invadit aegrotum, et ea quidem gravissima *2. Ulcus primarium, si adhuc permaneat, recrudescit, vitaque rursus in discrimen adducitur.

XIII.

Si febris et bubonis volumen sensim sensimque imminuantur, si bona sit individui constitutio, si primum ulcus iam coaluerit, vel ad cicatricem accesserit, tunc resolutio fit: si dolor febrisque desiierint, superstite adhuc tumore, hic in duritiem abit. Si vero bubo sat amplus sit, et suppuratio fiat, haec gravissimis symptomatibus stipatur: febris fit intensior, rigoribus recrudescit, sudoribusque remittit: dolores pungentes et dilaniantes torquent, qui postea pulsantes,

*1 Shaw. l. c.

*2 Opusc. di Bologna l. c.

distrahentes, et praegravantes evadunt. Noctes ducuntur insomnes, quamquam oculi caligent: sitis urens, capitisque dolor dirus: artuum motus gravem molestiam ingerunt: ut plurimum lingua sicca, arida, rubris marginibus alboque strato obtecta: alvus adstricta, urinae urentes et paucae; calor corporis saltem aegroti sensui adauctus, quandoque intolerabilis. Quae omnia graviora fiunt si aeger nerveo temperamento donetur (*V.* § VII, VIII), vel si morbus ad systema cerebro-spinale diffundatur: tunc « quorundam trux vultus est, » quorundam oculi quasi resoluti huc atque » illuc moventur » *1. Aegri conditio quam maxime miseranda: cito supervenit gangraenae processus: pulsus, qui prius duri erant ac frequentes, celeres et exiles fiunt: postea supinus decubitus vires summopere extenuatas et resolutas denotat. Peracta autem gangraena dolores immanes evanescunt, atque tumor fit mollior et crepitans: si eschara gangraenosa disrumpitur, ichor erumpit, atque

*1 Cels., libr. V.

integumenta irritat: qui, si intus maneat, moleste nervos afficit. Aeger interea plumbeo colore, frigidisque sudoribus perfunditur: vita admodum periclitatur.

XIV.

Expleta vero suppuratione, mitescunt dolores, et saepius penitus evanescunt. Pus primum in anfractibus cellularum reconditum, insimul collectum constituit abscessum, in quo, si abundet purulenta materies, fluctuatio deprehenditur: quae minus late patet, si pauca sit puris quantitas, sive altius insit. Tunc tumefiunt integumenta, digitorumque servant impressionem *1: circa abscessum durities reperitur aequalis, quandoque rubra, efformata a lympha *plastica*, quae limitem imponit puri, ne latius diffundatur *2; quae idcirco

*1 Diction. des sciences méd. *art.* abcès.

*2 *Mondo Aloysius*, structor, ingreditur Nosocomium Taurinense D. Ioannis, die 20 augusti 1829, annum vigesimum emetitus, numquam antea graves passus morbos, fluctuantem tumorem diametro quatuor pollices aequantem exhibet in superiori interna facie coxae dexterae. Ex historia commemoratorum signorum dignoscitur fuisse inflammatorium tumorem ad suppura-

non est confundenda cum illa duritie, a qua tumor constituitur. Nam haec est benignus adhaesionis processus a natura in tumoris peripheria promotus, ut suis limitibus definiatur morbus. Si collectum pus sit cutem inter et aponevrosim (*V.* ex th. Anat. § II), facile naturae tantum viribus cutis relaxata tenuior fit, et tandem disrupta puri egressum libere permittit: vel dirissimi dolores per paucas horas tantummodo saeviunt, quo in casu efformatur in cute parva gangraenosa eschara *1, quae cadendo puri viam sternit, et aperit. Si porro abscessus sit profundior, pariterque naturae commissus, priusquam cutis disrumpatur, disrumpi debet aponevrosis, de qua (ex Anat. § II) locuti sumus:

tionem ductum: in peripheria reperitur *durus lymphae plasticae circulus*, cutisque sat distenta: multumque tamen disruptioni resistit. Brevi lanceolae vulnere aperitur abscessus, multum puris egreditur; diaeta stricte servatur, et post quatuor dies completa obtinetur vasti abscessus adhaesio: durities pedetentim evanescit, aegrotusque iam convalescens suos repetit lares.

*1 Monteggia Istit. chir. vol. 1, § 174 -- Opuscoli di Bologna l. c.

hinc nova phlogistica phaenomena exoriuntur, quae circumstantem duritiem solvunt: saepius abscessus vel sub musculos pectorales, vel sub latissimum dorsi, vel per superiorem brachii partem protenditur (ex Anat. § X et seq.), vel etiam subter arcum aponevroticum, cui magna textus cellulosi copia inhaeret: tandem, uti in superficiali abscessu, disrupta cute, tumor reseratur.

XV.

Si aegrotus gangraenam bubonis superaverit, praeter amplum sinum uti in suppuratione contigit, maiorem vel minorem textuum iacturam exhibet, et pus sanguinolentum emittit, ac illa generatim pathemata se produnt, quae virium collapsum luculenter ostendunt.

XVI.

At non semper circumscriptus dumtaxat tumor in ala inducitur ab inquinato vulnere: saepe diffusa textus cellularis phlogosis erumpit, facile in gangraenam desinens *1. Alae dolor intensus praecedit intumescentiam pa-

*1 Duncan l. c.

rumper latam, et aequabiliter elevatam nec a marginibus circumscriptam, se se diffundentem ad collum, ad sternum, vel ad pectoris latera: neque punctum deprehenditur, in quo magis ingravescat inflammatio. Glandulae vix tumidae fiunt, nullaque in brachio durities, nullusque dolor persentiscitur, qui vulnus inter atque diffusam phlogosim apertam communicationem ineat. Morbus hic a laudato Duncan meditationibus Chirurgorum propositus a phlebotomia (ipso tradente), a distorsionibus, a traumaticis caussis gignitur. Gravior tamen semper est ubi a teterrimi cadaverum miasmatis insitione ortum ducit. Id semel observavimus in Taurinensi Chirurgica Clinica clarissimi professoris Riberi *1 iterumque in Medicina clinica Nosocomii D. Ioannis *2. Phlegmonem *diffusam*, *malignam*, hunc morbum appellant nonnulli auctores.

*1 *Pasio Angelus* Taurinensis die 26 martii admissus est in nosocomium D. I. florente aetate annorum 39, robusta constitutione, et temperamento bilioso sanguineo praeditus, gravissimis animi pathematibus laborans. Phlegmone acuta in sinistra clune corripi-

XVII.

Diffusa phlegmonis seu bubonis alae inflammatio, suppurationis vel gangraenae caussa tur, quam dolores lumborum praecesserant: febris tumorem comitatur: intempestiva hirudinum applicatione dolores exacerbantur, ac terra *cimolia* loco dolenti imposita tumor circumscribi videtur, ruborque cutis evanescit. At paullo post intumescentia lata, tactuique dolens, rapide se se diffundens a clune ad scrotum, ad superiorem coxae partem, ad lumbos, ad thoracis parietes, usque ad alam apparet: febris in primis genuina inflammatoria nervea adducit pathemata: hinc virium oppressio, subdelirium, anxietas, quibus iterata venae sectione occurritur. Quinta vero morbi die aeger Clinicam ingressus gangraenam exhibet perineum, scrotum, iliacam sinistram foveam obsidentem: incisio ad inguen et scrotum protenditur, ac bini arteriae pudendae rami gangraena adhuc incolumes deligantur. Metaxae gangraenosae textus cellularis extrahuntur, atque emollientes fotus applicantur. Sequenti die, ubi crepitatio manifestatur, incisio duorum pollicum instituitur, altera scilicet in inguine, altera in fovea iliaca, postrema in lumbis: quarum ope detegitur textus cellulosus gangraena correptus, fere nihil puris vel ichoris fluit, integumenta fere sana se offerunt: adhaesae metaxae cellulosae extrahi nequeunt: se se diffundente morbo, lintea fascia obcingitur inferior artus usque ad respondens inguen: fila

sinus ut plurimum adducit usque ad arcum aponevroticum extensos: qui, reluctante cor-

aqua imbuta gaz chloro saturata congruenter usurpantur. Septima die duae aliae incisiones eamdem ob caussam instituuntur, columnam vertebralem versus, et subter costas. Febris vel gravis iisdem symptomatibus stipata perdurat. Dein nonnullas post incisiones innumerae egrediuntur telae cellularis escharae: ita ut abscessus a perineo usque ad costas veras, a fovea iliaca ad spinam usque se se extendat. *Chlorurum* calcis gaz chloro substitutum adhibetur. Morbus, qui huc usque saeviebat, mitescere incipit, pallida nimirum ulcerum labia sensim sensimque rubescunt, ichor in pus bonae indolis convertitur, et novae extrahuntur metaxae textus cellulosi. Die duodecima limitibus coercetur gangraena: resolvitur phlegmone alam versus, et in inferiori parte nova incisione supra trochanterem puri exitus paratur. Pus undique libere fluit, functiones intellectuales ad pristinum redeunt statum. Sequentibus diebus inflammantur incisionum labia, atque emollientibus foventur, et sponte aperitur abscessus in dextera clune. Die decima quinta nudus testiculus, et funiculus spermaticus cerato adducta cute obteguntur. Pulsus elevatiores fiunt vix febrem indicantes. Arcaei balsamo ulcera curantur: augetur victus quantitas. Posteriores incisiones abscessus sub trunci compressione coalescunt; dum caeterae quotidie in melius vergunt, et tandem perfecte solide-

poris constitutione, vel nimia ciborum abstinentia, vel renovata in deligando brachii ele-

scunt, excepto vasto ulcere clunes inter et inguen extenso, quod lente ad cicatricem procedit: cui imposita sulphatis aluminae et potassae solutione, nitrate argenti liquato quandoque castigato, atque largioris diaetae beneficio tandem una cum aliis ad cicatricem perducto, die secunda mensis iulii aeger perfecte sanatus proprios adiit lares *.

* In periodo acuta adhibita fuere absoluta ciborum abstinentia, pulpae tamarindorum solutio, atque acido sulphurico acidulata potio.

*2 *Maria Richetta* a Lucengo, purgatrix, aetate annorum 17, admittitur in medicina clinica Nosocomii D. Ioannis die vigesima iunii 1829 sub numero 235; dexteram alam tumidam exhibet, cuius tumor extenditur per totam superiorem partem musculi pectoralis maioris usque ad sternum, per colli latus et superiorem brachii partem. Aucta temperies in ipsa tumoris superficie deprehenditur: cutis neque rubra, neque dolens ob tactum, sub pressione dolet, et digiti fere temporariam impressionem retinet: alares glandulae non inveniuntur tumefactae: praepediti sunt superioris artus motus: anatomica sedis morbi structura suadet textum cellulosum subterpositum inflammatione laborari; desunt enim symptomata quae suspicionem inducere valeant de aliis morbis in hoc loco.

vatione, perdifficile sanantur. Abscessus enim cicatrix non obtinetur ab arte, nisi addu-

Quum sciscitatur aegra, circa caussas, et anteactum morbi cursum, respondet, artum quasi luxavisse lintea torquendo; ob id illico suppressa fuisse catamenia: inde exortam esse paronychiam in dexterae manus pollice, mox resolutam calidis remediis: sed oborto in ala dolore, enarratam apparuisse intumescentiam, febre acuta continua stipatam. Nullis adhibitis remediis superveniunt tussis sanguinisque exscreatio: dolor ad sternum diffunditur, atque ad regionem epigastricam, vomitum adducens cum ascaridis praesentia: profundior invenitur in ala dolor: tunc semel iterumque instituitur venae sectio cum vini potu: novae expelluntur ascarides per anum, et post biduum vomitus sponte cessat. Dolores articulares, qui cum vomitu aegrotum vexabant, et flammeae urinae persistunt: septima die morbi, qua nosocomium ingreditur, febris gravis, sitis intensa et superius memorata deprehenduntur symptomata, quibus occurritur severa diaeta, potionibus diluentibus, et quinque venae sectionibus: lata dolet intumescentia, quae minus fit tensa, ac continuo emollientibus fota minus sensilis evadit; hirudines iterum iterumque admoventur cum tumoris imminutione, sicque febris evanescit: catamenia redeunt, functionesque gastro-intestinales et respiratio paullatim integrantur: continuo emollientibus fota ala, post binos alios menses resanata *Maria Richetta* ad suos rediit.

cendo ad contactum abscessus, et sinuum parietes, ipsosque hac ratione continendo, donec adhaereant. Si autem brachium sursum elevetur, musculi pectoralis maior, teres maior et latissimus dorsi se se extendunt, textusque cellularis illis adnexus distrahitur, disrumpitur, et eo facilius, si novae formationis sit. Cutis ab ulceratione disrupta, nimisque extenuata, cohaesioni impar evadit, temporisque progressu sinus in fistulas abeunt, quarum parietes obteguntur a membrana quodammodo mucosa, uti aliis in fistulis accidit *1: neque minus eius occlusioni obstant integumenta in fistulae os inflexa, alarumque pili in fistulam intrusi, vel assiduus lymphae defluxus ab erosione vasorum eiusdem generis promanans; quem praecipue evenire metuendum, tunc quum specilli, et compressionis ope cognoscitur sinus directio iuxta arteriam axillarem, et posteriorem musculi *2 pectoralis maioris et minoris faciem: tunc brachium continuo emaciatur sive doloris, sive

*1 Sabatier Méd. opérat. Dict. abrégé des sc. méd. art. *fistule*.

*2 Opusc. di Bologna l. c.

suppurationis caussa, ita ut quandoque similis sit humeri ossi corrugata pelle obtecto. Insuper ulcus difficilius coalescit, si quavis cachexia laboraverit aeger.

XVIII.

Inspecto et perpenso incessu phlegmones circumscriptae videlicet bubonis, et phlegmones diffusae, qui nam sint earum potiores exitus nunc est perpendendum. Nos non latet inflammationes a caussa deleteria progenitas perraro, nec impune per resolutionem superari: caute ideo tentandus, ubi naturae arrideat, in hoc morbo resolutionis exitus. Tumoris suppuratio minus gravem quam gangraenam morbi constituere exitum haud immerito censetur. Et revera, si comparemus tempus impensum ad tumoris suppurati sanationem cum iactura textuum, haud facile in gangraenae processu cohibenda, et facili admodum saniei absorptione subsecuta, a qua corporis macies methastases, et febris hectica metui possunt, diuturniorem evadere atque periculo plenum hunc morbi exitum neminem sane fugit.

XIX.

Post ea quae hucusque tradidimus, non est cur immoremur in huiusce morbi prognosi statuenda. Haec tot tantisque modis variare debet, prout variant deleterii principii concomitantia, ut pro singulorum varietate pronunciari tantum liceat de futuro morbi exitu. Nam bona aegroti constitutio promptaque curatio ut plurimum ad faustum finem perducunt: contrarium vero a contrariis metuendum. Febris genuina inflammatoria mitius afficit aegrum, quam nervosa dicta. Bubo superficialis, et parvus resolvi potest: difficilius profundior, et magnus. Vastus abscessus tum puriformis tum gangraenosus vel sola magnitudine mortem afferre valet, vel aegrotum in tabem conjicere. Phlegmone diffusa semper gravem efficit morbum.

XX.

Quoad curationem, morbi generatim a miasmatibus cadaverum absque ulla topica laesione producti, diversam medendi methodum requirunt, prout diversa phaenomena ingenerantur. Pro certo habemus, stimulantibus nervinis utendum esse ad

syncopem vincendam, statimac a miasmatis influxu remotus fuerit aeger. Reactione autem exorta, ut plurimum febris apparet: tunc pro eiusdem natura curatio est suscipienda. Sedulo perpendendum utrum natura ipsa per aliqua emunctoria crisim sponte moliatur, nec ne: quo in casu medicus naturae obtemperando facilius morbum devincet: alias autem curatio est suscipienda accomodata naturae morbi, prout varia organa, variique textus affecti videntur. Quamobrem si febris sit vehemens, si caput acriter doleat, si rubeat vultus, si pulsus frequentes et duri dignoscantur, si temperamentum sit sanguineum, si assuetae periodicae desint evacuationes, venae sectionem moderatam utilem esse putamus: hac virium oppressionem tollimus, crisisque facilior evadit: hirudines capiti applicatae dirum acerbumque levabunt dolorem. Generatim methodus antiphlogistica, plus minusve in usum revocata, morbi resolutioni favet. Quum autem sudore *1

*1 « Clariss. Pogabetzky, et nosocomii ad S. Nicolaum primarius chirurgus Samuelowitsch, peste

atque exanthematibus saepius resolvatur morbus, idcirco corporis animique quies, lectique stragula indicationi accomodata, tepida balnea, et diaphoretica agitationem lenire, et naturae molimini favere censemus. In febre nervosa cauto pede incedendum: vires sunt servandae ad totam morbi periodum perferendam. Lentas impressiones a miasmatibus inductas, praecipue in apparatu gastro-enterico, regulari diaeta, aëre aperto, anatomicorum studiorum remora, et congrua prophylaxi, uti infra dicemus, curandas esse putamus.

XXI.

Quomodo curandae sint excoriationes, aut vulnera, a quibus pendent gravissima mala, quae huc usque contemplati sumus, nondum inter se consentiunt auctores. Vetustissimi Psylli venenosa ulcera sugebant: hoc modo certando vulneratis putabant innocens fieri vulnus. Intrusum viperae (co-

» aliquoties correpti fuerunt, sed sudores critici in » primo insultu eos semper a miasmate liberaverunt.» (De-Mertens l. c.).

luber berus Linn.) venenum hoc modo aufertur. Haud sine periculo id peragi, praecipue si levis in ore excoriatio sit, ipsi veteres cognoverunt. Lotiones diu peractas, venenum diluendo, ac subducendo, optimum praebere remedium testatur Percy *1. Lotiones primum, deinde adustio cauterio facta *2 laudantur a Béclard: scarificationes, ligaturas alii proposuerunt, partis infectae extirpationem Roux *3: alii demum solo cauterio vel actuali, vel potentiali inurunt vulnus. Cauterio dolens vulneris status immutatur, venenatis autem in vulneribus, aut destruitur principium pestilentiale, aut superficies adusta veneni absorptioni obstat; quin imo cauterium suppurationem adducit, semper hoc in casu promovendam, utpote utilem a praxi sancitam, quam sententiam plerique recentiores amplexi sunt in curatione vulnerum venenatorum. D. Colles *4

*1 Percy l. c.

*2 Élémens d'anatomie général. Paris, 1823, pag. 131.

*3 Dict. des sc. méd. art. *Doigt.*

*4 Duncan l. c.

oleum terebinthi calidi, Mederer de Wurthwehr solutionem alcalii caustici, Chambon acidum sulphuricum, Itali nitras argenti liquatum, Chaussier liquidum antimonii hydrocloratum commendant. Hoc vero in parvo oenophoro contentum semper in promptu sit oportet, ut vulnus cito remedii actioni subjiciatur. Ferrum candens extemplo, uti supradicta cauteria potentialia, ex. gr. hydrocloratum antimonii, applicari nequit: insuper liquidum permeare potest omnia foraminula, quod tam facile ferro fieri nequit. Sua non carere utilitate lotiones concedimus, sed utiliorem, tutioremque fieri cauterii potentialis a Chaussier commendati applicationem, dummodo cito et rite peracta sit, nos et ipsi opinamur: qua praesertim utendum ubi meticulosus sit aeger, neque laesio nobiliorum partium contiguitatis caussa sit pertimescenda.

XXII.

Remota per cauterium caussa occasionali et emendato vulnere, febris haud raro consequitur, quae levem inflammatoriam naturam induit, cui antiphlogistica methodo

occurrendum : si vero vel ob tarditatem in cauterio applicando, vel ob quamlibet aliam caussam febris antea apparuerit, non aliter curanda est ac illa, quae genita fuit absque locali laesione, (*V.* § XX). At quum vulnus digitorum aut manus vel raro inducat bubonem sive phlegmonem diffusam alarem, ideo nonnulla de ipsius curatione subdimus.

Ad consequendam resolutionem bubonis methodus antiphlogistica adhibenda. Hac ratione febri occurritur, et buboni, qui praecipuam febris pathologicam conditionem saepe numero constituit; hinc diaeta et abstinentia stimulorum necessaria *1, quidquid contrarium opinetur cl. Shaw *2. Si porro, vigente bubone vel nulla vel levis detegatur febris, tumorque haud valde extollatur, et dolens sit, proponimus hirudines tumori imponendas, dummodo erysipelate cutis non laboret : quo vero adstante bubonis peripheriae sunt applicandae, cataplasmatibus emollien-

*1 Vinum omnibus dum febris, dum inflammatio est, alienum est, Cels., lib. V.

*2 Shaw l. c.

tibus fovenda est ala, quae dum textus relaxant, dolorem temperant, et, si ammissa iam fuerit resolutionis spes, suppurationem ciere valent. Si alvus sit adstricta, primum clysteribus dumtaxat utendum: exardescente autem febre drasticis remediis numquam alvum exonerandam esse putamus.

XXIII.

Quum in duritiem abierit bubo, plurima proposita fuere ad illam solvendam. Generatim remedia, quae laudantur, sunt extracta virulenta, resolventia nuncupata, sive exterius, sive intus usurpata, mercurialia cerata, iodii praeparata, balnea thermalia, cataplasmata efformata a caepis assatis, a panis fermento, emplastra gummi ammoniaci cum aceto scillitico. Perraro tamen in gravi duritie hisce remediis optata consequitur resolutio. Nobis constat *1 inutile cessisse extractum cicutae Storkii (conii maculati Linn.) epicratica atque energica dosi in usum vocatum. Quum tamen haec remedia, et praesertim iodium, quandoque profuisse pro

*1 Opusc. di Bologna l. c.

certo habeamus, hinc spernenda haud esse opinamur, utpotequae si duritiem non resolvunt suppurationem interdum sollicitant, potioribus topicis ulterius promovendam.

XXIV.

Cum ipso morbi initio tumor pronus ad suppurationem deprehendatur, sub prima eius apparitione, quo profundior est, eo citius educenda, etiamsi obscura sit fluctuatio: quod praesertim per utile ducimus, si abscessus contineatur aponevrosim inter et musculos alae. Namque plurima percunctando mala oriri posse suadet anatomica alarum contemplatio, et clinicae observationes evincunt. Si vero superficialis abscessus sit, naturae committi potest puris egressus; quo in casu, a spontanea tumoris apertione sua quoque beneficia sunt expectanda.

XXV.

Incisio non transversalis iuxta plicam cutis alae, quanquam latior quam longior abscessus existit, sed longitudinalis *1 fiat, hac adhi-

*1 Boyer Traité des malad. chirurg. t. vii, chap. iii.

bita cautione « ut et quam minimae *1, et » quam paucissimae plagae sint, cum eo » tamen ut necessitati succurramus, et in » modo, et in numero: » facilior huius ope puris exitus, et consequentes medicationes perfici possunt, quin multum brachium a pectore removeatur, quod plurimum interesse putamus in abscessus curatione *2. Si

*1 Cels. lib. vii, cap. ii.

*2 *Francisca Alliani* Taurinensis aetate annorum 22 bona constitutione donata, nosocomium D. Ioannis petit die 23 iunii 1829, et collocatur in lecto sub numero 234 -- Ter feliciter enixa est. At quinque menses post ultimum puerperium moritur infans, cui mater amantissima suas praebebat mammas. Vix quindecim elapsis diebus ab irreparabili filii iactura, dolet sinistra ala, tumorque durus ad superiorem musculi pectoralis maioris partem extensus apparet, febris inflammatoria gravis invadit aegrotam: bis vena secatur, potionesque antiphlogisticae et purgationes adhibentur: nihilominus in suppurationem transit tumor. Iam a febris ingressu decurrunt dies viginti, quando die prima iulii accersitus est Chirurgus: abscessus late patens musculum pectoralem maiorem et alam extollebat: haec cultro inciditur, et pus sanguinolentum copiose egreditur: dolores usque adhuc

enim brachium removeatur, textus cellulosus (ex Anat. §§ IV et X) positus inter musculos alae, distrahitur, et saepe inflammatur et laceratur. Accommodatior autem brachii positus ad cicatricem obtinendam est perfecta et perpendicularis eius adductio, cum antebrachio semiflexo, digitis paullulum flexis, una cum manu inter supinationem et pronationem (ex Anat. § XIII et seq.). Haec autem semiflexio, et praecipue adductio *1 continua sit: vix passivi permittantur motus flexionis antebrachii, digitorumque: perpetua

graves mitescere incipiunt: sequenti autem die febris evanescit, et pus iuxta alae pilos manat. Brachium thoraci continenter *adductum*, ac collo suspensum fascia detinetur: pergiturque in diaeta ad irritativam exortam conditionem sedandam. Mirum quanta facilitate convaluerit: post dies novem perfecta consequitur cicatrix, et post tres alios dies omnibus brachii motibus utitur aegra. Notandum vero, lacteum tumorem, qui observatus fuit in mamma eo temporis momento, quo incisio instituta fuit, perdurasse post sanationem abscessus: ipsi imponuntur hirudines, et imminuitur: et quum non doleat, aegrota nosocomium relinquit lentam expectatura resolutionem.

*1 Boyer l. c. — Opuscoli di Bologna l. c.

servetur mundities circa abscessum, nihilque introducatur in sinum. Superata febre et retuso inflammationis impetu, haud raro periculosa ciborum abstinentia est: fames ut in caeteris morbis, quos uberrima consequitur suppuratio, in ista plerumque insatiabilis fit; quare, natura duce, iis praesertim cibis utendum, qui ad nutritionem paratiores sunt. Qui lac ferre possunt, in hoc optimum inveniunt remedium et cibum. Hoc pacto textus cellulosus atque pinguedo, praecipue si frigidiuscula aëris temperies sit, animique quiete aeger vitam ducat, augetur, gignitur, reproducitur: sic processus atque recessus sinus ponuntur ad mutuum permanentem contactum, qui abductionis actu continenter moventur. Hanc medendi rationem pariter suadent anatomica alarum textura, et eximia, accurata ac repetita observata pathologica.

XXVI.

Quid vero agendum in amplo fistuloso sinu, qui sive incongrua curationis methodo, sive intempestivis brachii motibus ad chronicum pervenerit statum? Iam diximus (§ XIV) quandoque sinum occupare totam inferiorem

musculi pectoralis maioris faciem *1, quandoque musculi latissimi dorsi portionem *2, copiosamque serosam lympham egredi. Nonnulli ad compressionem confugiendum esse autumant: alii incidendum esse malunt musculum pectoralem maiorem, ut sic collapsus adhaereat. Inutilem musculi pectoralis incisionem putamus ad collapsum consequendum; quia tendo non inciditur, et novam suppurationem promovere valet: methodus praeterea molesta evadit, neque consequentibus aerumnis caret. Summa artus mobilitas per arthrodiam articulati difficillime compressionem permittit, neque in illa perseverare licet, uti necessarium foret: quae si fasciis efficiatur respirationis motus difficiles fiunt, et deligationis apparatum facillime movent. Praeterea fasciis os fistulosum occluditur, purisque egressus praepeditur: supra arcum (ex Anat. § IV) aponevroticum sola compressione nullus consequi potest contactus. Ubi vero sinus non extendantur usque ad memoratum arcum,

*1 Opusc. di Bologna l. c.

*2 Boyer l. c.

sed infra arcum, et sub pectorali maiori musculo existant, ac compressio tentari libeat, nobis videtur machinula elastica melius id obtineri posse structurae partis accomodata, eodem fere modo, quo clarissimus huisce Athenaei antecessor Barovero *1 utitur in curatione sinuum, qui sequuntur bubones syphiliticos inguinum. Haec machina caret pluribus vitiis, atque incommodis a fasciis prodeuntibus. Neque praetereundum est compressionem, quae inutilis evadat, ut plurimum nocere. Ideoque simplicior ac tutior anteponenda methodus superiori paragrapho enunciata, quae nimirum consistit in sola diaeta eupepta, atque artus quiete ac fere dicam immobilitate per totum morbi decursum.

XXVII.

Provecta vero adhaesione, incipiens nova membrana (§ XVII) et callosa substantia, qua obvestitur os externum fistulae, destruendae sunt: quem ad finem conducunt caustica potentialia, et prae aliis nitras argenti liquatum, et cataplasmata

*1 Omodei, vol. vii.

emollientia a Ledran usurpata *1, quorum usu novae macerantur substantiae, atque in lamellas abeunt. Si ob diuturnitatem morbi labia ulceris vera cute sint obtecta *2, et imparia evadant ad cicatricem, cultro excidenda esse consulimus. Notandum tamen est versus finem cicatricem retardari, quod pariter observatum fuit in bubonibus pestilentialibus *3. Tunc vero nitras argenti superficiem fistulosam apposite excitare et immutare valet. Cum autem caro ad aequum pervenerit, quin ulcus perfecte coalescat, utilem credimus aquam adstringentem, in qua solvatur modica dosis sulphatis zinci, et cupri *4.

*1 Boyer, op. cit. t. II.

*2 Opusc. di Bologna l. c.

*3 « Ulcera a bubonibus pestilentialibus relicta difficile ac lente consolidantur » (De-Mertens l. c.).

*4 Opusc. di Bologna l. c. « Ego in praxi felicissime induco cicatricem insperso *aere usto*, *loto*, » *aut tuthia praeparata* super ulceris ora. » *

* V. Fabricii ab Aquapendente Pentatheuc. Chir., lib. 3, cap. III.

XXVIII.

Si a gangraena bubo corripiatur citius incidendus esse videtur, ut sic molestae nervorum irritationes ab ichore productae avertantur. Syphunculo iniectiones emollientes in medicationibus adhibendae, ut cum ichore pessimus ingratusque eius faetor removeatur. Si in hoc stadio mors effugiatur, et gangraena limitibus coerceatur, uti si ageretur de simplici bubone suppurato agendum esse putamus.

Quum autem vel ob temperamentum, vel ob morbi diuturnitatem, vel ob graves exitus aegri vires afflictae quandoque sint, ea conveniunt, quae ipsas erigere, et sustinere valent, uti decoctiones corticis peruviani, modica meri quantitas, victus animalis, aliaque similia.

XXIX.

Breviter de phlegmones diffusae curatione verba facturi, anatome pathologica, et morbi observatione ducti antiphlogisticam proponimus therapeiam, tamquam feliciorem bubonis alae curandi methodum. Observantibus enim laudatis viris Duncan, Abernety,

Travers, hoc pacto agendo feliciores consequuntur exitus in periodo acuta, neque statim ad hirudines, sed potius ad venae sectionem modice confugiendum *1. Satius enim est universalem morbi vim primum compescere, dein topicis uti ad localem morbum devin-

*1 *Bianco Bernardus*, annorum 62, agricola, Ponzone Astensi natus, quamquam hypocondriacus robusta constitutione praeditus erat: iam anno elapso pellagra veris tempore correptus, iterumque hoc morbo laborat, quin ipsum curet: die 23 augusti 1829, chirurgicam clinicam Taurinensem ingreditur, gravemque exhibet intumescentiam dexterae coxae ab ictu violento productam: tumor extendebatur in totam coxam duplex alterius volumen referentem, ubique dolentem absque cutis rubore: febrisque acuta aegrotum vexabat. Emolliens coxae impositum fuit cataplasma, et venae sectio instituta fuit: crusta contegitur sanguis, tumor et dolor minuuntur: at post duos dies febris recrudescit rigore: cataplasmata continuantur, iterumque secatur vena: sanguis levem crustam exhibet, febrisque evanescit: sequenti die levis aedema superest in coxa, fasciaque ipsa obcingitur: post nychthemeron coxa ad pristinum redit statum, ac aeger brevi e nosocomio egreditur adhuc pellagra laborans.

cendum. Fracto autem inflammationis febrisque impetu, si gastricae viae omni careant irritatione, drastica conveniunt revulsionis consilio: incisiones latae, et pro re repetitae a laudatis auctoribus utilissimae habentur, non solum ad pus evacuandum statimac collectum fuerit, sed etiam ad coercendam tumoris phlogosim cum, ut saepe contingit, late per continuum adhuc morbo illaesum textum cellulosum ipsa diffunditur. Compressio moderata fasciis instituta *1, quemad-

*1 *Biscossesi Joseph* agricola, annorum 33, temperamento sanguineo, et robusta constitutione praeditus, chirurgicam clinicam cl. Prof. Riberi ingreditur 21 augusti 1829. Carbunculum exhibet supra dexteram scapulam pollicem aequantem, qui in primis pustulae urentis formam induit; iam febris inflammatoria vehementi capitis dolore stipata duobus ab hinc diebus aegrotum vexabat, ac semel instituta fuerat venae sectio, scarificationibusque incisa pustula: cataplasmatibus fovetur carbunculus, et circumambiens dolens et tumida cutis: iterum secatur vena, febrisque mitescit. Notandum maxime est, sequenti nocte intumescere respondentem brachium, excepto eo loco, quo per accidens fascia continens cataplasma brachium obcingebat: tamen remittit febris. Sequenti die brachium ad pristinum redit sta-

modum consulit Blackadder in curatione gangraenae nosocomialis, diffusionem phlegmones quandoque praepedire valet, et abscessus adhaesionem promovet ; sed nec semper utilis ea est, nec omnibus in locis admoveri potest. Acida diluta, et chlorurethum calcis utilia esse in topicis medicationibus, nemo inficias ibit *1. Paucis ea omnia de quibus locuti sumus in curatione bubonis, praeter particularia nunc enumerata, sunt impendenda in huius gravissimi morbi curatione.

tum : at intumescit textus cellulosus ab ala usque ad ileum, quae intumescentia eodem modo ac ea brachii cataplasmatibus resanatur, febrisque brevi cessat, et simplex habetur plaga cum circumscripta eschara: at aegrotus septima die, post ingressum, nosocomium reliquit, et tantum horis clinicis aeger redit ut ulcus perfecte sanetur. Eschara die 12 septembris cadit, lentaque consequitur cicatrix.

*1 In curatione gravium fistularum chlorurethum calcis et sodii, utilia detecta fuere a Lisfranc aliisque. *

* *Annuaire medico-chirurgicale*, ou Répertoire général de clinique, année 1827, pag. 398.

XXX.

Interdum morbus diuturnus nimis, et pervicax evadit ob vitia universalia praeexistentia, vel localia ab ipso genita. Virus syphiliticum *1, vitium cancerosum scro-

*1 Huiusce complicationis exemplum habemus in condiscipulo nostro Pisarum R. . . . . qui iamdudum syphiliticis ulceribus correptus, bullas in mamma, collo et visu exhibebat: mense martii 1825 cadaveris necroscopiam instituit; subveniente die bubo apparet in ala, qui statim vastissimus fit, et febre nervosa sic dicta stipatur: aeger mortis timore valide percellebatur: interea tumor in gangraenam abit. Ipse ad clinicam traductus sui curationem committit venerando magistro nostro equiti Andrea Vacca' Berlinghieri, quem memorare nequimus quin vehementissimo afficiamur grati animi sensu, et quin moerore summo angamur ob irreparabile eius fatum. Escharae separationem sinus latissimus excipit, ita ut aër introductus infra pectoralem maiorem, et minorem musculum eiusdem lateris, dum brachium primis diebus iterum iterumque extollitur, flammam exagitet, eo modo quo observavit Desault (docente discipulo suo Vacca') quin communicatio cum thorace existeret. Licet aeger optima et pingui constitutione donetur, ne ullum quidem convalescentiae indicium in eo conspiciebatur. Instituta hydrargyro antisyphilitica curatione, eupepta diaeta addita, omnibusque praesidiis topicis adhibitis convaluit non soluma bubone, sed etiam a lue.

phulosum rachiticum inter prima, caries et necrosis inter secunda, possunt tumorem, abscessum, et alae fistulam diuturniorem, vel incurabilem reddere. Hos tumores, suosque exitus complicatos dicimus. Hi tumores, curatione instituta ratione caussae, cum id consequi possit, eamdem exposcunt curationem localem ac tumores primarii, de qua supra verba fecimus. Monendum quidem est haud praepropere suspicandam esse complicationem, quod morbus pervicax evadat, praesertim in debilioribus et macilentis aegris; nam in his diutinus fieri potest morbus licet simplicissimus. Saepe equidem ab incongrua medendi ratione (§ XXIV et seq.) pertinacem, neque sanabilem evadere morbum accurata docet observatio, atque anatome pathologica demonstrat. Ut plurimum, qui rectam anatomicam viam non callent, continuo imaginaria recondita vitia criminantur, quae supervacaneis, imo noxiis praesidiis assidue vincere certant.

XXXI.

Perlustrata morbi curatione, hanc per arduam interdum fieri patet: utinam Prose-

ctores, quibus familiares iam diximus occurrere caussas, ipsarum noxas effugerent! Quamobrem operae praetium ducimus morbi prophylaxim per summa capita delibare; quam prorsus contineri opinamur in definienda loci salubritate, in quo dissectiones anatomicae peraguntur, atque in assignandis cautionibus ab hygiene depromptis, quas ipsa nos docet ad prosperam tuendam valetudinem, innumeris iugiter, et multifariis malorum caussis obsessam.

Amphitheatra ampla sint inter septentrionem et orientem (Nord-est) sita, potius in urbis angulis ad hortos, quam aliis in locis, unde facile obtineri possit aëris renovatio *1 ob ventorum in aedificium directionem. Loca sint perpolita, et strata constructa lapidibus levigatis plano inclinato dispositis, ut liquida continuo percolare queant per subterraneum ductum, qui longius influat. Abundet aqua: lux sufficiat ad minuta praeparanda obiecta: tabulae sint parum sulcatae et in-

*1 Malacarne Vincenzo. Delle osservazioni in chirurgia, parte 1.

clinatae, laminisque attenuatis sandaracha oblinitis obtectae, ne liquidis inquinetur Prosector. Ab hisce distincta alia habeantur loca pro dissectionibus partium putridarum vel maceratarum. Cadavera diu in amphitheatro non iaceant, temporibus labori non dicatis prorsus et cito eliminanda: quo tutius periculo occurratur fumigationibus cum chloro a Guyton Morveau *1 propositis haud abstinendum. Quam chlori utilitatem posterioribus experimentis Clinici iugiter confirmant, qui praesertim in nosocomiis operam impedunt.

XXXII.

Prosectoris animus serenus et pacatus esto. Metus siquidem et abiectio ad miasmatum affectionem praedisponere videntur: corporis vires congruo animali ac vegetabili victu modice sustentandae: sic moderatus fiat vini, et alckoolicorum usus, iam assuetis dumtaxat concedendus. Lotiones corporis sint frequentes *2: saliva non deglutiatur *3, quando

*1 Traité des moyens de désinfecter l'air.

*2 Béclard, l. c.

*3 Malacarne, l. c.

diu supra cadavera immorandum: ieiuno ventriculo amphytheatra non adeantur praesertim adventante die: comprobatum enim est inhalationem actuosiorem esse matutinis horis, et ieiuno ventriculo. Diutius demum in anatomicis indaginibus haud immorandum. At huiuscemodi cautiones iis non sufficiunt, quorum manus aut digiti pustulis aut ulceribus afficiantur *1.

XXXIII.

Monendum equidem est in dissectionis opera optima seligenda esse instrumenta, adeo ut illis imperare valeamus, neque e manu effugiant, sicque vitentur vulnera: forcipes non manus ad disrumpenda ossa adhibenda: horis frigidis necroscopiae instituendae: hyemali tempore *2 profundae, et diuturniores anatomicae inquisitiones peragendae: recentiora cadavera semper anteponenda: serosarum membranarum portiunculae, quae fuerint inflammatione correptae *3, volsella

*1 Vid. not. § v et not. § xxx.

*2 Malacarne, l. c.

*3 Shaw l. c., et opusc. di Bologna l. c.

apprehendendae: imo chirotecae ceratae etiam in usum ducendae, si de corpore contagioso morbo confecto agatur. Moscoviensis anatomiae Prosector, anno 1770, prima fuit pestis victima ob dissectionem cadaverum militum *1 ab urbe *Choczim* provenientium. Tandem *2 solutione hydrochlorati calcis manus, quae cadavera tractant, abluantur; ita miasma, si quod cuti adhaereat, probabili coniectura neutrum reddimus, et infestum, pessimumque faetorem, si cito auferre nequimus, saltem imminuere hoc pacto valemus.

Omnibus hisce servatis prophylacticis cautionibus, erunt fortasse perrari, vel admo-

*1 De-Mertens, l. c.

*2 Syriam nuperrime aditus D. Pariset, ibique pestis indolem vel periculosis tentaminibus cum Collegis suis perscrutatus, novissima Europae medicis aperit epistola, calcis videlicet chloruro syriacae pestis contagium ita destrui, ut, ab indutis pestiferorum vestibus calcis chloruro depurgatis nullam elapso iam mense noxam expertos fuisse, pro certo affirmet. *V. Gazette de France = octobre* 1829.

dum mitiores morbi hactenus recensiti. Sic praeterea evincitur, anatomen pathologicam per longam malorum et laborum seriem excultam, adeo profecisse, ut mortis insidias praeripere per ipsam mortem saepe valeamus. Unde illud quisque erit facile probaturus, de quo apud Poetam;

Ad caedes hominum prisca amphytheatra patebant,
Ut longum discant vivere nostra patent *1.

*1 Santeuil, Inscriptio ad Amphytheatrum parisiense.

EX OPERATIONIBUS CHIRURGICIS

DE AXILLARIS ARTERIAE LIGATURA.

Ligaturae praesidium veteres agnovisse legimus *1 : a nuperioribus vero arterias devinciendi methodos et rationes peculiaribus vasorum laesionibus accomodatas haud sine laudabilium sententiarum conflictu *2 acce-

*1 Cels., lib. v, cap. xxvi. De vulneribus, quae maxime per tela inferuntur, inquit « venae (*arteriae*) » quae sanguinem fundunt apprehendendae, intraque » id quod ictum est, duobus locis deligandae, in- » tercidendaeque sunt, ut in se iunctae coeant, et » nihilominus ora praeclusa habeant. »

Lib. vii, cap. xix. « Si venis (*arteriis*) vinciendo » medicus prospexerit, lina quibus capita earum » continebuntur, extra plagam dependere debebunt, » quae pure orto sine ullo dolore excident. »

*2 Hodgson, op. cit. et praecipue. Eq. Scarpa, et

pimus. Quibus rite, uti par est, perpensis auctorum controversiis, in ea versamur opinione, qua immediatam, simplicem, unam, circularem, permanentem ligaturam, mediatae, compositae, duplici, complanatae ac temporariae ligaturae generatim anteponendam fore censemus.

Hac una praemissa animadversione, de axillaris arteriae ligatura hoc qualecumque specimen praebere aggredimur.

I.

Vulnus ac aneurysma *1 praecipui morbi

Magistri nostri Eq. Vacca' Berlinghieri scripta * varias circa ligaturae species.

* Scarpa sull' aneurisma = Appendice all' opera sull' aneurisma. Lettera del Cav. Prof. Scarpa al Cav. Prof. Vacca' = Risposte del Cav. Vacca'. = Vacca' Memoria sulla legatura delle arterie. = Vacca' Storia della legatura dell' arteria iliaca esterna.

*1 Aneurysmata axillaris ut plurimum a violenta caussa * originem ducunt, et requirunt promptam curationem; quia sedis caussa, scilicet defectu compressionis partium, et motuum facilitate cito amplificantur, tunc vel ancipitem desiderant operationem, ligaturam scilicet arteriae subclavearis, vel etiam ligaturam arteriae infra tumorem iuxta nonnullos auctores.

* Hodgson, obs. xiii et seq. = Fordyce, uti le-

sunt, quos ut curemus ad axillaris arteriae ligaturam confugimus, sive circumscriptum, sive spontaneum, sive traumaticum, sive verum, sive falsum sit, sive superiorem humeralis arteriae portionem, sive axillarem arteriam ipsam obsideat aneurysma; dummodo istud superiorem musculi pectoralis minoris marginem haud exsuperet, recenti methodo curandum, axillaris arteriae ligaturam exposcit. Aneurysmatico ad claviculam usque protenso tumore, quoties arteria subclavearis nullomodo deligari possit, iuxta nonnullos infra tumorem ipsum arteria devincitur *1. Lis tamen adhuc sub iudice viget de hac re.

In ligatura arteriae axillaris non omnes consentiunt circa punctum, in quo deliganda

gitur in opere Scarpa (sull' aneurism., pag. 43): ita Post. V. Omodei, fascic. 37, pag. 82.

*1 Dupuytren * hoc in casu innixus observationibus a Wardrop habitis, arteriam axillarem infra tumorem deligavit in puncto arteriae musculo pectorali minori respondenti, pluraque collateralia vasa deligare debuit.

* Clinique des Hôpitaux, et de la Ville, Tom. 4, juillet 1829, n. 30, 31, 35, 41.

sit, si axillaris inferiorem, vel humeralis superiorem tumor occupet partem: in eo tantum conveniunt, ut superiori in puncto, quum superiorem pectoralis minoris musculi marginem tumor adaequat, ea sit deliganda.

Ex breviter enarratis, insimulque collatis methodis, quae aptior ad scopum habeatur hic a nobis seligetur.

II.

Desault *1, uti omnes assolent, compressa ministri ope arteria in loco a Camper indicato, nimirum contra primam costam supra claviculam, cultro incidit per spatium trium vel quatuor pollicum in sulco deltoidem inter et musculum pectoralem maiorem sito, donec musculi pectoralis minoris tendinem pertingat, infra quem, nimirum in triangulo infrapectorali (*V.* ex Anat. § V.), specillo sulcato a vena et nervis arteriam seiungit, quam filo comprehendit, et deligat. Haud raro morbus sursum extensus plusquam praesentiri posse videatur, sectio-

*1 Sabatier, Méd. opérat., sect. iv.

nem exigit tendinis musculi pectoralis minoris, quae facile eiusdem sulcati specilli et cultri ope peragitur.

Roux *1 in eodem infra-pectorali triangulo arteriam deligat, incidendo cutem e parte media claviculae usque ad marginem inferiorem tendinis musculi pectoralis maioris, indeque oblique hunc musculum secat, nec non pectoralem minorem: digitis apprehendit involucrum vasorum, et nervorum: sic temporaria instituta compressione, arteriam inquirit, et devincit. Si vero arteria vulnerata sit, et diffusum aneurysma, binas instituit ligaturas.

In infra-pectorali triangulo axillaris arteria deligari potest incidendo in ipso alae cavo. Incisis tegumentis intra alae columnas, eadem directione qua aperiuntur abscessus (ex Pathol., § XXV), sive iuxta arteriae directionem: ac aponevrosi, et textu cellulari divisis cultro per specillum sulcatum ducto, nervisque mediano et cutaneo interno tendinem pectoralis maioris versus detrusis,

*1 Médecine opérat., vol. 1.

aliquantulum profundius arteria invenitur, cui exterius, et aliquantulum posterius vena est, versus coraco-brachialem musculum adducenda *1: tunc arteria unco deprehensa facile devincitur.

Vena hoc in spatio arteriam oblique secare observatur.

Hodgson *2 in triangulo supra-pectorali (ex Anat., § V) deligandam esse putat arteriam. Incisionem semilunarem instituit cuius convexitas inferius respicit: incisionis initium distat pollicem ab extremitate sternali claviculae, extenditurque usque ad acromion. Hoc pacto integumentis incisis, eadem directione secantur musculi pectoralis maioris fibrae. Elevato limbo, incisoque textu celluloso, digitus dirigitur secus superiorem marginem musculi pectoralis minoris, quo digito arteriae pulsationes persentiuntur; tunc vel obtuso instrumento, vel diligenti sectione separata arteria, acu ad aneurysmata

*1 Sistema di Chirurgia operativa di Carlo Bell, tradotto dall'inglese dal Professore Giacomo Barovero, vol. 3, part. 2, pag. 147.

*2 Hodgson, op. cit., sez. vi.

dicato filum traducitur circum vas ea ratione extollendum, ut digiti compressione dignoscatur utrum pulsationes inferius cessent nec ne; nervi enim cervicales tum volumine, tum pulsatione communicata ab arteria, inducere queunt in errorem: distincta hoc pacto arteria, tunc est deliganda.

Monteggia *1 describit axillaris arteriae ligaturam in triangulo supra-pectorali uti Hodgson: ab Anglo differt circa id, quod spectat ad incisionis directionem; dum ipsam suadet transversalem fere claviculam lambentem. Immerito igitur nuperi Mariolin adscribunt hoc praeceptum *2.

Carolus Bell *3 Itali Professoris methodum proponit.

Geri *4 aegrum resupinum collocat, cuius brachium transversim sit abductum, propositam a Monteggia incisionem docet, incipiendo distantiae digiti unius internam medietatis claviculae partem versus, sic tegu-

*1 Istit. chir., vol. 2, cap. x, § 259.

*2 Velpeau, Anat. des Régions, t. 1.

*3 Op. cit.

*4 Terapeutica operativa.

mentis incisis per quatuor pollices, specillo sulcato eadem directione secatur musculus: ut plurimum arteria thoracica laeditur (ex Anat., § II) quae statim deliganda, ut vitetur confusio. Cephalica vena detegitur, quae ad subclaviam se confert (ex Anat., § XXI), et vinculo quidem prehendenda si fortuito laedatur: adducto brachio, unco obtuso vel plano, vel cultri manubrio removenda vena axillaris incisionis labium versus: tunc detecta arteria, *volsella* vel *unco* a Geri nostro inventis *1, apprehen-

*1 Difficultatibus et periculis sedulo perpensis, quae vas devinciendum saepissime creat, magni facimus instrumenta ab eximio Geri excogitata, quorum utilitas atque praestantia facile ob oculos cadunt, antecessoris monitis obtemperando, dum ea in usum vocantur. Et revera, ligaturam instituendo, per arduum interdum fit arteriam a vena et nervo contiguo seiungere, illius texturae integritatem dignoscere, nec plus aequo eam cellulari textu expoliari, et laqueo constringere, lateraliaque vasa ab hac prodeuntia inspicere. Quae omnia, ni oppido fallimur, vitari vel deprehendi facile possunt, et simplici congruo instrumentorum usu, quem Taurinensis Antecessoris praecepta mox exponenda nos

denda, separanda et deliganda est iis in

facile docebunt. Porro si attente considerentur instrumenta a Geri proposita, *uncus* scilicet, et *volsella* (quorum figura delineata reperitur in laudato suo opere de *Operationibus haemostaticis*) unicuique patet expedita atque certior illorum agendi ratio. Ponamus enim ligaturae casum, haec animadvertit laudatus Antecessor: si arteria deliganda superius comprimi potest, concinne incisis suprapositis arteriae partibus, et vix caute volsellae ope (more Dupuytren) incisa aponevrosi, quoties ab hac circumvallatur, sub diastolen unco transfigitur, ita ut saltem triens diametri instrumento comprehendatur: dein elato vase, textus cellulosus tensus remanet, facile secari potest, atque arteria tantum in optatis punctis denudari. Tunc vel spatula (*Laminetta* Celeberr. Scarpa) vel specillo, vel acu Deschamps, vel Desault, vel Atti, etc., filum vel fasciola infra arteriam collocatur, ac intercipitur sanguinis cursus: hinc stricte deligatur si circularis sit ligatura, vel tantum ad contactum parietes adducunt, qui arteriam complanare volunt: quod eo melius consequi poterit, prout unci ope congruo disponuntur fila, quae fasciolam efformant. Dum arteria transfigitur parum e punctis prosilit arteriosi sanguinis: tunc compressa superius arteria statimac deligatur, et omissa compressione quin rursum e pertusis punctis sanguis appareat, dignoscitur sufficiens

punctis, in quibus ipsam (Vid. Tab. lit. R) haud circumambiunt thoracici nervi (ex Anat., § XVI et XVII).

constrictionis gradus, removeturque instrumentum. Sanguinis arteriosi egressus arteriam indicat, quamvis ipsa non pulset. Vulnuscula ab unco producta, vix educitur uncus, illico tonicitatis ergo occluduntur. Instrumentum hoc utilissimum non solum inservit ad deligandas vulneratas arterias conspicuas, sed generatim ad ea omnia confert, quae haemostatica expostulant praesidia. Cum *ossea* vel *calcarea*, vel *mollior* quam par est, arteria sit, dum ipsa pungitur, uncus vel crepitum inducit, vel resistentia caret; ita ut, noto pathologico statu, alibi statim deligari possit. Elevationis momento arteria separari potest in posteriori facie, et persentiri queunt *collateralia* vasa, quae coagulum impedire valent.

Ubi vero vas comprimi nequit, uti in carotide contingit, vel ubi Chirurgus veretur unci vulnera, volsellae usum suadet Geri. Haec robusta et extremitatibus concavis et scabris sit, quorum extrema tantum ad mutuum contactum pressione adducantur: arteria denudata, eadem ratione qua utimur unco, et apertis volsellae extremitatibus sic ea comprehenditur, ut non compressa penitus a volsellae extremis contineatur. Dum vero arteria per volsellam sublevata remanet, pulsationes aut cerni aut sentiri queunt: hinc facile seiungitur a circumpositis partibus, et vincitur. Commodior adeo experitur horum instru-

III.

Quum autem axillaris vena (ex Anat., § XVII) interius, et aliquantisper inferius existat, commodius videtur ipsam ab hac directione removere quo melius pateat arteriae decursus: amplis praeterea inspirationibus eiusdem venae turgor imminuatur, atque uno eodemque tempore, ligatura confestim brachio applicata, venosi sanguinis circuitus praepediatur, uti Lizars proposuit.

Si ligatura in superiori arteriae axillaris parte posita sanguinis cursus intercipiendus sit, haec musculum subclavium versus (Vid. Tab. lit. R.), potiusquam versus pectoralem minorem musculum ponatur (ex Anat., § XVI, XVII). Etenim arteria acromialis proprie dicta (Vid. Tab. lit. c) probabiliter coagulum impediret, si, superius posita, proxima esset ligaturae. Ad operationem exequendam specillo sulmentorum usus, si de vulnerata agatur arteria, ut ipse Scarpa * volsellam proponat ad sistendam haemorrhagiam a vulnere arteriae axillaris genitam. Tandem hisce instrumentis neque nimis dilatantur vulneris labia, neque contunduntur, et promptior minusque dolens operatio contingit.

* Scarpa, Sull' aneurisma l. c.

cato arcum aponevroticum incidere iuverit (ex Anat., § IV). Tunc arteriam unco pungere incipiat Chirurgus in margine, quo venam respicit, facile a nervis hoc in loco seiungendam, et a costis, quibus cellulosi textus ope incumbit. Ex anatome constat, ibi ligaturam faciliorem evadere, sat remotam ab insignibus *collateralibus* esse, et nervis arteriam minus circumdari. Nunc vero si inter se comparemus descriptas methodos, caeteris anteponendam esse facile patet Geri methodum, adhibitis cautionibus in antecedenti paragrapho enarratis, ubicumque situm sit aneurysma, quod arteriae axillaris ligaturam requirat. Et primo quidem praeter memoratas utilitates, recta incisione non dividuntur, sed seiunguntur musculi pectoralis maioris fibrae, et adductione brachii sufficiens consequitur spatium: ex adverso Hodgson methodo memorati musculi fibrae dividuntur, et a circumpositis partibus difficulter separatur arteria.

Desault processus exponit periculo laesionis venae cephalicae, ac arteriam separat ubi insignia (ex Anat., § XVIII) *collateralia*

vasa emittit; ita ut Dupuytren (Vid. not., § 1) horum plura deligare debuerit, ubi ipsam circumambiunt nervi (ex Anat., § XVIII). Porro sectione tendinis musculi pectoralis minoris adductionis motus infirmantur.

Roux, tendinis pectoralis maioris sectione, brachii adductionem, flexionem, et respirationem laedit. Praeter haec, ligatura instituta in eo arteriae puncto a Roux indicato (Vid. Tab. A[2]) periculosa evadit, quod ibi insignia collateralia vasa oriantur Vid. Tab. lit. l. (ex Anat., § XIX), et nervi propiores arteriae quam venae decurrant (ex Anat. § XX), binisque alaribus nervis secetur arteria, quae robusta aponevrosi cum venis et nervis alligatur. Exceptis damnis inductis a sectione tendinis pectoralis maioris musculi, reliqua sunt applicanda methodo deligationis in alae cavo retro tendinem: ibi tamen minus profunde incidere necesse est, priusque inveniuntur nervi dum brachium operationis actu elevatum se sistit.

Tum Desault, tum Roux methodis, si aneurysmatis caussa deligetur arteria, quum ligatura sacco aneurysmatico proximior sit

quam in Geri methodo: posita arteriae pathologica conditione, ligatura facilius adducitur phlogosis vel diruptio aneurysmatis, nondum consecuta adhaesione: hinc nova secundariae haemorrhagiae caussa.

Ex dictis concludi posse arbitramur ligaturam esse tentandam in triangulo suprapectorali, quotiescumque occasio tulerit axillarem arteriam iuxta recentiorem methodum deligandi, scilicet in delectus puncto, quemadmodum superiori paragrapho adnotavimus.

V.

Quum vero a violenta axillaris arteriae laesione, vel ab aneurysmatis diruptione arteriae ligaturam imperet exorta haemorrhagia, statuta consueta compressione temporaria, in necessitatis loco deliganda est arteria, ubi nimirum laesio existit. Quare si vulnus externum in alae cavo directe ad arteriam perveniat, ipso dilatato, quocumque loco laesa ipsa fuerit, unco aut volsella deprehensa, duobus *1 locis deligandam esse malumus: pariter deligandae sunt arteriae

*1 Vid. vol. cit. Carol. Bell, pag. 124.

collaterales sive laesae fuerint, sive ab extremitate vulnerati vasis ortae existant: conspicuae anastomoses, quas in thesi ex Anatome (§ XVI et seq.) adnotavimus, vel novam inferre valent haemorrhagiam, vel coagulum praepedire: hac ratione motus HAMILTON *1 Hunteriana methodo cruralem arteriam nec non collaterale vas feliciter deligavit: nos et ipsi *2 ulnarem arteriam hoc pacto

*1 Storia delle principali operazioni di Chirurgia di CURZIO SPRENGEL. Trad. dal D. BETTI.

*2 D. *Cerutti* a Crescentino, annorum 41, temperamento bilioso musculari donatus, lienis fisconia laborans post passas febres intermittentes, initio aestatis 1828 dum ipsi venaesectio instituitur in dextero brachio, cum vena secatur arteria: compressione nimis valida sistitur haemorrhagia, atque superficialis tegumentorum eschara consequitur, efformaturque dein aneurysma circumscriptum: hoc internum condylum versus positum pulsare cessat, si alam versus comprimatur arteria, cessatque pariter radialis pulsus: quum vero comprimitur arteria humeralis in inferiori tertia parte pulsare cessat radialis arteria, quin tumoris pulsatio imminuatur: ex hisce deducitur divisam esse arteriam humeralem in brachio, solamque cubitalem vulneratam esse: omnia phaenomena varicis aneurysmaticae desunt, tumorque

feliciter a Prof. Riberi devinctam semel conspeximus.

Si autem pectoralis maioris musculi tendini respondeat vulnus externum, specillo introducto, exploratoque laesae arteriae puncto, in alae cavo iuxta arteriae directionem pariter est incidendum (ex Anat., § XVIII).

compressione imminuitur, quin totus evanescat. Post tres menses aeger adit Cl. Professorem Riberi, cui adiutor in operatione sum, ac antea descripta observo. Professor aneurysmaticum saccum, incisione *T* figuram referente, aperit, coagula aufert, decerniturque vulnus in interno arteriae latere: arteria hoc in casu superficialior decurrebat supra bicipitis aponevrosim, quemadmodum notatur ab Hodgson (op. cit., sect. vii). Simplici, immediata, tereti ligatura, primum inferiorem, indeque superiorem arteriae partem deligavit; temporaria superius instituta compressione sublata, iterum enascitur haemorrhagia: *collaterale* vas decernitur infra fasciolam tendineam bicipitis apertum: inciditur fasciolae pars, et illud deligatur. Radialis arteriae pulsationes continuant, ac tantum in cubitali silent. Ceratis teniolis vulneris lateribus simul appropinquatis, adhibetur antiphlogistica methodus. Die 13 inferius cadit filum, superius die 20: et die 28 ab executa operatione perfecta consequitur cicatrix: iterumque licet debiliores ulnaris arteriae pulsationes persentiuntur.

Quae de Roux methodo superius diximus circa damna recisionis tendinis musculi pectoralis maioris huc referenda: hac tantum methodo agendum esse censemus, si vulneratum arteriae punctum nullo alio modo detegi possit: SCARPA *1 ipse inferiorem pectoralis maioris portionem incidendam esse putat ad detegendum laesum arteriae punctum.

Caeterum Chirurgus pro vario laesionis puncto vel in alae cavo, vel incisionibus, quae a methodis superius allatis indicantur, arteriam inquiret.

VI.

At vero quum externum vulnus directam non servat cum arteriae laesae puncto communicationem, quomodo agendum sit inter se valde discrepant auctores.

En laudati GERI *2 sententiam: si parum ab arteriae sede distet vulnus, neque essentiales partes existant, his specillo sulcato incisis, deliganda est arteria. Si autem longum sit vulnus, magnique momenti partes complec-

*1 Sull' aneurisma, cap. XI, § 20.
*2 Terapeutica operativa art. 2.

tatur, tunc iuxta arteriae directionem incidendum est, uti si de consueta Hunteriana methodo ageretur. Notandum vero, ligaturam ponendam esse prope laesionis punctum. Propterea, quae circa varios instituendae ligaturae locos improbavimus in descriptis methodis, ad casum de quo nunc agitur, haud sunt referenda.

Ad detegendum arteriae vulnus Taurinensis Antecessor recte suadet considerationem omnium signorum commemorantium circa instrumentorum genus, adgressoris et vulnerati positus ipso laesionis actu: tunc si introductum specillum per vulnus perveniat ad arteriam, atque exterius eadem directione admotum arteriae positioni omnino respondeat, hoc pacto proximum arteriae laesionis punctum indicabitur: quod plane confirmatum habebimus si, parum superius huic loco instituta pressione, cessaverit sanguinis fluxus. Sic definito vulneris puncto suprapositae partes incidantur.

Quoad axillarem arteriam (ex Anat. § XV et seq.) supra et infra claviculam, supra humeri caput et collum comprimi posse notamus.

VII.

Si, ablata compressione, profluat sanguis, continui solutio in arteria detegitur; quae unco deprehensa, iterumque compressione instituta, a proximis partibus seiungitur, et incipiendo ab inferiori trunco deligatur. Difficultates, quas occurrere diximus quotiescumque deligatur arteria in triangulo infrapectorali iuxta methodum Hunterianam, minores evadunt, si arteria obtruncata sit: qua in hypothesi unci aut volsellae ope citra nervos et venas *1 trahi possunt illius extrema.

Laesionis altitudinem superet semper incisio, ut, qui una tantum utuntur ligatura, superiori saltem in puncto arteriam deligent, ne operatoris culpa graviora sequantur incommoda, uti incaute contigit Deschamps, qui, haud detecto puncto laesionis axillaris arteriae,

*1 Roux (Méd. opér. t. 1, part. 2) arteriae sectionem proponit, ut illa immediate deligari possit: Geri autem sectionem utilem esse putat in tertii ordinis arteriis, ut istae melius distingui et prehendi queant: huiusce utilis praxis insigne refert exemplum (Terap. Oper.).

ipsam deligavit infra vulneris sedem *1: quo in casu ad detegendum vulneratum arteriae punctum, bicipitis musculi portionis sectionem potius anteponit SCARPA *2: completam vero arteriae abscissionem, et binas iuxta MAUNOIR methodum ligaturas suadet MONTEGGIA *3. Quem ad finem monere haud supervacaneum ducimus, complures inveniri anastomoses, quae duplicis ligaturae necessitatem evincunt, uti usus est HALL *4. Spontaneam axillaris arteriae a WANSWIETEN memoratam vulneris *5 sanationem, perraro contigisse censemus. Et quamvis nonnullas spontaneas huiusce arteriae aneurysmatum sanationes referat HODGSON, vastissimumque traumaticum axillaris arteriae aneurysma VALSALVAE methodo sanatum fuisse observaverit SABATIER *6, et similem observatio-

*1 Réflex. et observ. sur la ligature des principales artères blessées obs. 1.

*2 e 4 SCARPA sull'aneurisma cap. XI, § 18.

*3 Ist. Chir.

*5 Commentaria in HERMANNI BOEHRAAVE Aphorismos t. 1, pars 1, § 161; Taurini 1744.

*6 SABATIER médec. opérat. Paris 1810, pag. 364.

nem referat Pelletan *1; non infirmatur tamen ligaturae necessitas, quam propugnamus. His namque in casibus circumscriptus sine haemorrhagia erat tumor. Caeterum vel in hisce adiunctis arteriae ligaturam tentandam esse censemus; siquidem perraras contigisse spontaneas huiusce generis sanationes et gravissimis stipatas accidentibus *2 certo certius constat.

Axillaris aneurysmatis saccus si disrumpatur secandus est iuxta arteriae directionem vel in alae cavo si inferius, vel supra pectoralem musculum si altius existat: qua in operatione caute incedendum si venas vitare velimus, et nervos una cum sacco confusos, vel a consueto situ remotos: tunc, sublatis coagulis, unco deprehendatur arteria, prout antiqua methodus nos docet deliganda.

Neque desperandum, si disrumpatur aneurysma, cum primum, vel ab initio, inferiorem axillaris portionem occupans *3 usque ad

*1 Clinique Chirurgicale tom. 1.
*2 Hodgson op. cit. obs. XXVI.
*3 Vid. Tabul. A2.

claviculam pervenerit: ut plurimum enim sufficiens arteriae portio remanet, quae ligatura comprehendi potest. Arteriae erosionem, sive ulcerationem, fere semper inveniri tumoris centrum versus, observationibus constat. Quoties deligari nequeat arteria, compressio procul dubio tentanda iuxta tritum illud effatum, quo melius est anceps experiri remedium, quam aegrotum extremo linquere immedicabili fato.

Quum vero vel morbi antiquitate, vel alia de caussa, brachium ad gangraenam propendat, vel humeri caput disruptum sit, *extirpationem* humeri proponit Scarpa *1.

VIII.

Peracta iuxta recentem methodum operatione cum permanenti, una, circulari et immediata ligatura bis simplici nodo firmata *2, alterum fili caput obtruncandum est, dum alterum laxum ad inferiorem vulneris angulum

*1 Sull'aneurisma cap. XI, § 21.

*2 Chopart, referentibus Pelletan et Boyer, nodo chirurgico cruralem arteriam deligavit: nodus actione interceptus nunquam praepedivit circulationem in tumore: hinc coxa amputata fuit, errorque patuit.

servatur: dein congrua deligatione vulneris labia inter se mutuo appropinquantur, ut promptior inde cicatrix evadat. Si iuxta antiquam methodum deligata fuerit arteria, nullumque sanguinis stillicidium habeatur, appropinquandae pariter sunt partes, quo citius vulnus coalescat. At moderato in stillicidio titivilitiis adstringentibus etiam remediis conspersis repleatur saccus; si sat copiose minimis ex vasis fluat sanguis, apta compressione contineatur apparatus: confecta suppuratione, curatio ab alae abscessus curatione non differt (*V.* in Pathol. § XXIV et seq.).

Ex phaenomenis quae arteriae ligaturam sequuntur, alia sunt constantia, alia inconstantia: ad prima referas pulsus augmentum supra ligaturam, quam subter penitus cessat: ad secunda dolorem, frigus, stuporem, paullo post adauctum artuum calorem, non raro suis consuetis stipatam symptomatibus febrim. Incertum penitus fili casus est tempus: Scarpa namque *1 septimam inter et decimam diem circulari in ligatura contingere

*1 Sull'aneurisma cap. IX, § 20.

autumat, et decimamoctavam inter et vigesimamprimam in *complanata*, nunquam vero antea decimamquartam: Geri octavam inter et decimamsextam diem ab operatione: Sabatier decimam inter et decimamquintam: Carolus Bell sextam inter et decimam *1 diem. At plurima referri possunt exempla, quibus serius cecidisse constat. Sic Magister noster Menici *2 circularem post ligaturam fili casum et haemorrhagiam secundariam die vigesimasecunda observavit; post axillaris arteriae ligaturam, a praeceptore Vacca' institutam, trigesimaoctava die fili casum et ipsi conspeximus.

Serio perpendat Clinicus, et enitatur, ut apta medica therapeia descripta sedet phaenomena atque evincat; per se namque necem inferre possunt, vel secundariam promovere valent haemorrhagiam. Et primo quidem permanenti immobilitate, et brachii adductione opus est.

Post sedulo peractam operationem, si ad-

*1 Op. cit. vol. 2, part. 1, pag. 71.

*2 Memorie = Sull'allacciatura dell'arteria iliaca esterna. Pisa 1827.

aucta dumtaxat sit sensilitas, quin adhuc phlogistica exorta sint phaenomena, dolor attamen torqueat, hic opio profligandus: calidis fotibus advocetur sanguis infra ligaturam: capillarem restaurari circuitum cutis rubor demonstrat: diaeta, et methodus antiphlogistica plus minusve energica pro re nata in usum vocetur, praecipue si febris inflammatoria vel phlogosis apparuerit: vix restituto circuitu in inferiori ligaturae parte, venae fiat sectio, si necessaria censeatur: sanguinis impetum temperando, facilius interioris membranae arteriae adhaesio, et coagulum obtinentur: moderata phlogosi, tum exulceratio, tum fili retardatur casus; hinc minus fit probabilis secundaria haemorrhagia: accurate removendae sunt incitantes cordis et arteriarum motus caussae *1: si circumpositi exoriantur abscessus, ut plurimum textum cellulosum corruptum continentes, illico sunt aperiendi.

*1 Laudatus Menici observavit haemorrhagiam die vigesima prima post lithotomiam, cuius caussa fuit sanguinis ad penem * vehemens concursus.

* Osservazioni sull' aneurisma. Pisa, 1824.

Cicatrice porro consecuta, saepe iam imminutus, pedetentim absorbetur tumor: respondentis arteriae radialis *1 vel desunt omnino vel debiles fiunt pulsationes: temperatis motibus pristina recuperetur agilitas: at vero si ligaturae phlogosis diffundatur ad aneurysma, et hoc suppuratione corripiatur, expulso pure, curetur abscessus uti superius innuimus (ex. Path. § XXIV et seq.): disrupto sacco priusquam coagulo praepediatur circuitus, uti in primaria diruptione agendum erit.

Si adversa fortuna iuxta recentem methodum deligata supra-pectorali in triangulo arteria, secundaria contingat haemorrhagia, illico compresso arteriae hiatu, subclavearis arteriae ligaturam tentandam fore censemus.

IX.

Caeterum pathologica arteriae conditio et ipsius quandoque sanguinis vitium potiusquam laquei permanentia secundariam afferunt hae-

*1 Hodgson part. 2, sect. VI = Pelletan op. cit.

* Esposizione delle malattie chirurgicamente trattate nella Clinica Chirurgica del Cavaliere Andrea Vacca' Berlinghieri, per l' anno 1824-25, osserv. XXVII.

morrhagiam, uti adnotaverunt Vacca' et Bè-clard. In iis tantum morbi adiunctis ligaturae delectus suas patefaciet utilitates, caeteris paribus, quando graviter nondum laborat arteria, et ad felicem exitum atque ad vasis obliterationem assequendam omnium faventium adiunctorum opus est concursu. Permanentis ligaturae commodum, tunc solum evidens est, quum lente arteria plastico processu corripitur. Sedulo praeterea curandum est ut sano in puncto, et a collateralibus vasis remoto deligetur arteria, omnibus adhibitis cautionibus, ut prompta et tuta exinde sequatur morbi sanatio. Pathologica ut plurimum arteriae conditio spontaneo consociatur aneurysmati: distinguendi idcirco in primis casus quoad ligaturam, prout differt arteriae laesionis caussa: siquidem a discrepante arteriae deligandae organico et dynamico statu plerumque repetendae sunt discrepantes auctorum sententiae, qui propriis innixi observationibus atque experimentis, temporariam aut permanentem potiorem ligaturam habent.

TABULAE EXPLICATIO

A. Clavicula.

B. B. B. B. B. Portio anterior costarum.

C. Sternum.

D. Portio anterior capitis humeri capsula synoviali obtecta.

E. Portio superior musculi deltoidis.

F. Musculus subclavius.

G. — pectoralis maior retroversus.

H. H. — pectoralis minor versus extremitatem tendineam secatus.

I. — infrascapularis.

K. Musculi latissimi dorsi pars superior.

L. L. L. L. L. — intercostales externi.

M. M. M. M. — serrati magni ligulae.

N. Musculus biceps.

O. — triceps.

P. — coraco-brachialis.

q. Arcus aponevroticus cuius, ob horizontalem cadaveris positum, vix triens conspicitur.

r. Punctum in quo deligatur arteria in triangulo supra-pectorali.

z. z. z. Spatium repletum textu cellulo-pinguedineo.

a. Prima arteriae axillaris portio.

a¹ Secunda arteriae axillaris portio.

a² Tertia arteriae axillaris portio.

b. Arteria thoracica prima.

c. Arteriae acromialis magnus truncus.

d. Parvus ramus ab arteria acromiali proveniens, qui anastomoses init cum ramis arteriae mammariae internae.

e. Eiusdem acromialis arteriae ramus, qui musculo pectorali minori distribuitur.

f. Alter ramus, qui cum cephalica vena decurrit.

g. Arteria mammaria externa, quae in hoc casu ab acromiali provenit.

h. Ramus arteriae mammariae ex-

ternae obtruncatus, qui distribuitur musculo pectorali maiori.

i. Arteria scapularis inferior.

k. — thoracica alaris, quae plerumque ortum ducit a scapulari inferiori.

l. — supra-scapularis obtruncata.

m. m. m. m. — mammaria interna.

n. Rami eiusdem qui inosculantur cum d.

o. Rami eiusdem qui inosculantur cum ramis b.

p. Venae axillaris portio prima, paullulum intus unco adducta, ut conspiciatur arteria.

q. Secunda portio venae axillaris.

r. Tertia portio venae axillaris, quae inflectitur.

s. Vena basilica.

t. Vena cephalica ob brachii elevationem, et venae axillaris adductionem a naturali directione recedens; quae in statu naturali marginem anteriorem arcus aponevrotici legit.

u. Vena comes arteriae mammariae externae.

v. Vena thoracica, quae venam axillarem ingreditur.

w. Vena comes arteriae scapularis inferioris.

x. x. x. x. x. Venae, quae axillarem ingrediuntur: et arteriae directionem secant: quarum nonnullae sectae observantur.

1. Portio anterior plexus brachialis.
2. Nervus cutaneus externus.
3. Prima origo externa nervi mediani.
4. Nervus radialis, qui superius coniunctus cum 5 quasi annulum efformat arteriam cingentem.
5. Continuatio primae originis nervi mediani.
6. Secunda origo nervi mediani, qua transacta, ipse cum ramo 5 sociatus secundum annulum arteriam obcingentem efformat.
7. Tertia origo nervi mediani infra quam, ipse cum ramo 6 con-

iunctus, primum annulum arteriam amplexantem efformat.

Annuli nervorum in hac tabula aliquantum ampliores sunt, ut melius arteria conspiciatur.

8. Nervus supra-scapularis.
9. — cutaneus internus.
10. — infra-scapularis.
11. Parvus ramus nervi thoracici anterioris.
12. Ramus nervi dorsalis alae distributus.


G
E
R
D
N
A
F
H
Q
P
a
p
L
B
H
C
M
K
O

Theses

SORTE EXCERPTÆ

EX PHYSICA

DE METEORIS GENERATIM ET SPECIATIM DE METEORIS IGNEIS

I.

Phaenomena, quae in atmosphaera contingunt *meteora* nuncupantur.

II.

Meteora diversi generis sunt, prout a diversa caussa producuntur, et diversa est ratio, qua nobis se produnt.

III.

Inter meteora ignea primo loco ponimus *fulmen*.

IV.

Fulmen est immanis electrica scintilla, seu torrens electrici ignis, qui vel ex tellure redundante in atmosphaeram deficientem, vel ex redundante atmosphaera in tellurem deficientem, vel ex nube in nubem praeterfluit.

V.

Lux, qua fulmen nobis se prodit, dicitur *fulgur*.

VI.

Ab ingenti vi, qua fulmen disiicit aërem, oritur *tonitru*.

VII.

Sonus intra minutum secundum percurrit exapedas 173; igitur si quot enumerantur minuta secunda inter inspectam fulguris lucem, et auditum tonitru, multiplicentur per 173, comperta nobis erit distantia puncti, in quo primum fuit aër a fulmine disiectus.

VIII.

Fulmini affinis est *bolis*, nimirum ingens globus igneus, rapidissime per aërem praeterfluens, post se caudam trahens, quae sensim minor evadens, in aciem desinit, et longitudine sua non raro quater, vel quinquies diametrum globi excedit.

IX.

Bolis modo per superiores, modo per inferiores atmosphaerae regiones decurrit, et saepe impetu summo displodit; eiusque effectus a fulminis effectibus non differunt.

X.

Lapides, qui e coelo descendunt *aerolites* dicuntur.

XI.

Opinati sunt plurimi *auroram borealem* effici ab electricitatis actione: sed huius phaenomeni caussa nos adhuc latet.

XII.

Nomine *aurorae borealis* designamus lucem, quae noctu in boreali coeli parte interdum splendet, illamque plagam illustrat, imitando solis ortum.

XIII.

Trabs est ignis oblongus parallelus horizonti, et quando tumescit in medio suae longitudinis, *drago* vocatur; dicitur vero *capra saltans*, si pendentibus laciniis appareat, susque deque ad instar caprae saltitet.

XIV.

Decurrentes stellae sunt ignes, qui noctu ita per aërem moventur, ut mutari videantur coeli partem; ubi vero ad tellurem pertingant *stellae cadentes* nuncupantur.

XV.

Sunt et alii ignes, qui in superficie tel-

luris irregulari cúrsu moventur; hi fugientes homines insequuntur, et insequentes fugiunt; ideoque *ignes fatui*, vel *ambulones* dici solent; potissimum conspicui fiunt in sepulcretis, et ubi aquae stagnantes putrescunt, eorumque caussa generatim tribuitur hydrogenio, quod in corporum putrefactione evolvitur, et ab electrico fluido accenditur.

XVI.

Ad ignes fatuos non sunt referendae luces, quae malos, antennas, et funes navium, nec non hominum capillos, ac animalium pilos lambere conspiciuntur, inde dicti *ignes lambentes*. Huiusmodi luces apparere solent aut furente procella, aut vix illa pacata; sunt enim totidem *penicilli*, vel stellulae electrici ignis.

EX INSTITUTIONIBUS CHIRURGICIS

QUOAD

MATERIEI MEDICO-CHIRURGICAE ELEMENTA

De remediis emollientibus generatim, nonnullis recensitis speciatim ex variis classibus alterutrius regni naturae.

I.

Emollientia remedia sunt, quae duris ac rigidis vel tensis fibris applicita, sive aliquid inter earum particulas interponant, sive aliud fortasse mutationis genus inferant, earumdem cohaesionem imminuunt.

II.

Hinc irritatio, dolor, et spasmus imminuuntur ac removentur, maxime in partibus agenti remedio propioribus: unde exhalatio cutis revocatur, circuitus humorum naturali ordine restituitur, fitque saepe utilissima ab internis partibus ad externas, vel a superis ad inferiores avocatio.

III.

Patet insuper alios atque alios effectus edere emollientia, praeter vim emolliendi ac relaxandi, resolventes nimirum, temperantes, refrigerantes, et sedantes.

IV.

Quamvis autem utilis sit emollientium usus in morbis internarum partium, maximeque intestinorum, renum et vesicae; frequentius tamen utilior in bene multis morbis exterioribus experitur.

Ex regno vegetabili.

V.

Malva mucilaginoso principio scatet. Ideo eadem ut emolliens pro clysteribus, fomentis etc. celebratissima.

VI.

Melilotus suave olens planta, mucilaginoso resolventi principio scatet. Dolores lenit, tumores discutit, abscessus maturat: in cataplasmate, fotu, emplastro, clystere usurpatur.

VII.

Mercurialis mucilaginosis principiis scatet,

inter herbas emollientes collocatur: lubricat, laxat, aperit: adhibetur pro fotu, cataplasmate, et clystere.

VIII.

Liliorum alborum flores gratum odorem fundunt, sed ita intensum ut caput gravent, et temulentum reddant. Oleum ex flor. lil. alb. maxima pollet virtute emollienti, et relaxanti.

IX.

Cydoniae semen mucilaginosa substantia turget. Hinc lubricat, laxat, refrigerat, atque lenit.

X.

Lini semen in usum frequentissime venit tum internum, tum externum. In morbis pectoris, raucedine, tussi, ejus oleum, vel etiam infusum in aqua ferventem semen efficax est. In farinam redactum optimum facit cataplasma emolliens, laxans, sive in tumoribus phlogosi stipatis, sive in viscerum doloribus ad fotum assiduum faciendum.

XI.

Caricae pingues egregio abundant succo dulci mucilaginoso; gratum praebent nutrimentum, medicamentum etiam pectorale, emolliens, et relaxans.

XII.

Arabicum gummi est substantia ex albo flavescens, pellucida, saporis glutinosi. Humores acres corrigit, lenientem virtutem ostendit.

Ex regno animali.

XIII.

Lumbricus terrestris vermis reptilis est in terrae visceribus abditus. Recentes cocti, et oleo olivarum infusi oleum lumbricorum terrestrium faciunt, virtute emollienti leviterque anodina pollens.

XIV.

Sperma ceti substantia pinguis, alba, mollis, saponacea, ex peculiari cete liquore parata.

Externe adhibetur pomatum spermatis ceti in fissis et raghadibus, in ulceribus nimia sensibilitate stipatis.

XV.

Vitellus ovi virtutem habet emollientem, lenientem, analepticam. Suppeditat vehiculum ad balsama solvenda, et ore sumenda.

Ex ovorum vitellis assatis, fit oleum vitelli ovorum, quo utimur in ambustis, in mammarum, labiorum, et pudendorum raghadibus.

DE SYPHILIDIS PROGNOSI

I.

In prognosi duo tantum debent inquiri, nempe 1.° quae nam lues venereae graviores sint, quae omnium gravissimae atque inter lethiferas recensendae; 2.° quae curationem faciliorem, vel difficiliorem admittant, et cum maiore, minoreve periculo.

II.

Constat morbi gravitatem variam esse; atque adeo varie in aegris esse aestimandam multiplici de caussa.

III.

1.° Prout recens aut inveterata deprehenditur: lues venerea caeteris paribus, quo recentior, eo minus est gravis; generatim tanto gravior, quanto magis inveterata.

IV.

2.° Ob aegrotantium aetatem: sic etiam, caeteris paribus, magis periculosa est syphilis in infantibus, et senibus, quam in adolescentibus et adultis.

V

3.° Diutina docuit experientia, syphilidem a faeminis facilius tolerari, quam a viris, quamdiu libere fluunt catamenia, aut illae gravidae fiunt, aut lactant.

VI.

4.° Firmae et integrae nostri corporis partes, et florentes vitae vires validius contagii vi obnituntur, quam debiles, et fractae.

VII.

5.° Ob consuetos aut insitos morbos, quibus iam laborabat aegrotus ante syphilidem: siquidem uti morbus antiquus recentioris additamento ingravescit, exasperatur; sic novum antiquioris praeoccupatione intendi necesse est.

VIII.

6.° Ob qualitatem et vehementiam malorum, quae lues invehit.

IX.

Gravissimae et etiam lethiferae habendae sunt illae syphilidis species:

1.° In quibus pars ad vitam pernecessaria, nempe vitae proxime inserviens, graviter afficitur.

X.

2.° In quibus pars quaevis licet non prorsus

vitae necessaria, utpote tamen remediis parum obvia immedicabili quasi labe corrumpitur.

XI.

3.° In quibus degener virus, degenera exinde, quae ab hoc proficiscuntur, mala remediorum efficaciam expungunt.

Syphilis curatu difficilior est habenda:

XII.

1.° Quotiescumque dolores tum vagi, tum fixi diuturnitate invaluerint, vel hi postremi a quodam gravi morbo organico aluntur.

XIII.

2.° Quotiescumque durissimae adsunt exostoses eboris compactionem emulantes.

XIV.

3.° Iure metuendum est, ne aegrotantes gravissima et diutina labe iam fracti, vetusto morbo exhausti, gravis remedii efficacia, ptialismi molestiae succumbant.

XV.

4.° Quaecumque syphilis comitem habeat iam provectum scorbutum, nempe quando gingivae, et oris interiora foetent, livent, putrefiunt, et in fungos tument; gravia infortunia persaepe contingere solent, nisi cautissime procedat Chirurgus.

V. Schiara Rev. Archiep.

V. Rossi Pr. ac R.

V. Anino a Consiliis.

V. Ferrando a Consiliis.

V. Schina a Consiliis.

V. Gribodo a Consiliis.

V. Imprimatur:

FERRARIS Moderator.

INDEX

Ex Anatome

De Ala . . . . . pag. 3

Ex Pathologia Speciali

De frequentioribus morbis, quibus Prosectores facile afficiuntur . . . » 42

Ex Operationibus Chirurgicis

De axillaris arteriae ligatura . . » 95

Tabulae Explicatio . . . . . » 122

THESES SORTE EXCERPTAE

Ex Physica

De meteoris generatim, et speciatim de meteoris igneis . . . . . » 129

Ex Institutionibus Chirurgicis

De remediis emollientibus generatim, nonnullis recensitis speciatim ex variis classibus alterutrius regni naturae » 133

De Syphilidis Prognosi . . . . » 137

ERRATA			CORRIGE
Pag.	*Lin.*		
9	13	hi bini essent,	hae portiones binos constituerent musculos,
13	2	pollices tres	pollicum trium
Id.	3	Id.	Id.
27	8	(Vid. thes. ex Path. § XVI et seq.)	(Vid. thes. ex Path. § XXV et seq.)
32	16	adeo ut	ut
34	2	et circumflexa	et cum circumflexa
Id.	3	humeri cum thoracica	humeri, thoracica
45	21	ephemera febre	ephemera oborta febre
51	8	ut plurimum	utplurimum
88	not. ult.	soluma bubone	solum a bubone

12